



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>


Parisiis, 1671

Stephani Baluzii Tutelensis Notæ Ad Reginonem.


urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

STEPHANI BALUZII
TUTELENSIS
NOTÆ
AD REGINONEM.

STEPHANI BALUNI
LUTERANIS
NOTA
AD REGINORUM



S



ad
d
de
tal
Ca
ma
nu
fu
ge
pe
er
de
ric
tiv
to
da



STEPHANI BALUZII
TUTELENSIS
NOTÆ
AD REGINONEM.



REGINONEM patria Germanum fuisse scribit Trithemius, ex conjectura, ut opinor. Videbat enim eum monachum & Abbatem fuisse Prumiensis monasterij in diœcesi Trevirensi, quod *cum omnibus villis dominicatis & vassallorum*

additum regno Germaniæ fuerat ex pactis initis anno DCCCLXX, inter Karolum Calvum Franciæ occidentalis Regem & Ludovicum Regem Franciæ orientalis, id est, Germaniæ, ut patet ex titulo XXXVII. Capitulorum ejusdem Karoli. Per ea tempora Normanni, Galliæ Germaniæque vastatores, regnum Arnulphi, qui Karlomanno Ludovici filio, patri autem suo, successerat, ingressi anno octingentesimo nonagesimo secundo, ad monasterium Prumiensē tandem pervenerunt. Ei tunc præerat Farabertus Abbas. Hic ergo aliqua monachorum suorum parte comitatus, cedens tempori, se in fugam contulit. Qui in monasterio deprehensi fuerunt, omnes vel trucidati vel in captivitate abducti à barbaris sunt. Ij deinde expugnato direptoque vicino quodam castro, cum ingenti prædâ ad classem regressi, oneratis navibus, cum omnibus

copiis, ut Regino scribit in libro secundo Chronicorum, transmarinas repetunt regiones, id est, Franciam occidentalem. Accepta ea calamitate Farabertus, victus propterea rædio rerum humanarum, abdicare se magistratu constituit. Tum temporis istud non licebat nisi cum auctoritate Principum, quod omnia monasteria in eorum potestate essent, uti diximus ad epistolam xxix. Lupi Ferrariensis. Itaque quoties monasterij cuiuspiam Abbas excesserat è vivis, aut ab administratione recedebat, Rex in cuius ditione constitutum erat monasterium, novum Abbatem in locum ejus substituebat. Aliud obtinebat si regali auctoritate, id est, diplomate ac privilegio, tributa erat monasterio facultas eligendi Abbatem. Nam eo casu monachi poterant eligere Abbatem; neque dabatur è palatio. Farabertus igitur accessit ad Regem Arnulphum; & cum impetrasset ab eo de relinquendo regimine monasterij Prumiensis, sponte deseruit curam pastorem. Habebant autem monachi Prumienses, ut ex Reginone discimus, *regalem auctoritatem*, id est, diploma regium, quo illis concessum erat uti ex se eligere possent Abbatem. Coacto itaque conventu, monachorum suffragia vocésque in Reginonem convenerunt, virum, ut colligitur ex libris ejus de disciplinis ecclesiasticis, dignissimum ea cura, dignissimum ea dignitate. Verum quia nihil tanto ac tam mirifico consensu agitur inter mortales quin aliquos semper habeat repugnantes & obtrectantes, post aliquot exinde annos, æmulatorum suorum artibus, ut ipse tradit, dejectus est, anno nimirum octingentesimo nonagesimo nono. Omnino autem par est existimare factum istud esse auctoritate Principis. Abbates enim tum & diù post deponebantur à Principibus absque synodali jussione, sola ipsorum auctoritate, ut pluribus probari possent. Aggressus erat Regino narrationem istius suæ calamitatis in libro secundo Chronicorum. Quo casu factum sit ut illa non pervenerit usque ad hæc ultima tempora, perieritne monachorum Prumiensium arte & industria, ne, quiescente jam extinctaque invidia, tantæ infamiae memoria superesset, an quia Regino destinata non composuit, seu quia ea narratio periit injuria temporum, difficile dictu est. Unum affirmare li-

cet, lacunam in hoc loco esse apud Reginonem. Inquirenti autem mihi in causas dejectionis hominis tam excellentis nihil probabilius occurrit quàm amor veteris disciplinæ, fastidiosum illum ac gravem monachis suis fuisse ob nimiam mentionem veterum regularum, adeoque eorum odia promeritum esse justissima de causa. Quid enim iniquius aut indignius, quid insulsius, quàm ut eo tempore quo miseri homines bellis domesticis & externis afflicti erant, eorum quies post tot mala turbaretur etiam importunissima rerum vanarum commemoratione, in nullum rei publicæ aut private usum? Causati ergo apud Principem, qui tum adhuc erat Arnulphus, Abbatem Reginonem monasterio suo inutilem ac damnosum esse, ut nimis deditum studiis literarum, bonum monachum, ut de Balduino Cantuariensi Archiepiscopo dicebat olim Giraldus Cambrensis, sed malum Abbatem, qui nec præesse sciat nec prodesse, illum hinc removeri & alium in loco ejus postularunt substitui. Ne quis verò existimet me in hac conjectura oberrare, neque eam potuisse esse monachorum Prumiensium dementiam ac furorem ut Abbatem suum ob hoc oderint quia literarum studiis deditus erat, ostendam me verum dicere exemplo valde illustri ejusdem seculi, quod editum est in persona magni viri Rhabani Mauri Abbatis Fuldenfis in eodem Germaniæ regno. Expulsum illum atque ejectum è monasterio suo fuisse anno DCCCXLI. docuit nos auctor Chronici Hildesheimensis, & aliunde illum eo anno reliquisse regimen monasterij Fuldenfis probavimus certissimis argumentis in Notis ad epistolam quadragesimam Servati Lupi Abbatis Ferrariensis. Causas ob quas pulsus est non dicam ego, sed verus codex M. S. à Nicolao Serario laudatus in libro quarto rerum Moguntiacarum pag. 643. *Rabanus anno 842. Fuldenfi pulsus est abbatia, fratribus monachis causantibus ipsum studiosum, nimis intentum scripturis, temporalia negligere.* Hanc monachorum stultitiam & improbitatem acriter exagitat Trithemius in libro de scriptoribus ecclesiasticis, illam descendere faciens ex impulsu diaboli. Hæc sunt ejus verba loquentis de Rhabano: *Tandem offensus improbitate monachorum suorum, qui eum dicebant nimium scripturis*

intentum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, displicentiam contra eum acceperunt, scandalizati in eo quo maximè debuerant adificari. Dans igitur locum ira, nec cum ingratis ovibus diutius manere consentiens, monasterium & ejus habitatores deseruit. Sed ad Reginonem. His itaque nugatoriis accusationibus Reginonem impetentes monachi Prumienses, eum sibi adimi postularunt ab Arnulpho. Postulata eorum juverunt turbulentissima reipublicæ tempora. Nam quia Arnulphus assiduis bellis distinebatur, adeoque propter hanc causam magis indigebat bellatoribus quam viris literatis, usi ista opportunissima occasione monachi Prumienses, Gerardo & Matfrido Comitibus, quorum magna auctoritas in aula Arnulphi erat, spem haud dubiè fecerunt fore uti fratrem eorum Richarium eligerent si obtinere à Principe possent dejectionem Reginonis & eligendi potestatem. His enim artibus uti solitos per illa tempora monachos, ut eorum favorem mercarentur qui præcipuum dignitatis aut gratiæ locum obtinebant apud præfules rerum humanarum, testatur Ratpertus in capite tertio libri primi de origine & casibus monasterij sancti Galli. Tum illud quoque ex Luitprandi lib. I v. cap. xv. discimus, consuevisse magnates abuti temporum perturbatione, ut abbatias sibi concedi postularent à Principibus. Neque dubium est Gerardum atque Matfridum multos esse in gratiam Richarij. Arnulphus ergo videns hos duos potentissimos homines urgere hoc negotium, ut frater eorum Richarius sedem Reginonis, cum vacua foret, occupare posset, dedit manus, vinci se passus est, abbatiamque Reginoni ademit ut Gerardo atque Matfrido gratificaretur, quorum ope & auxilio indigebat in hac regni perturbatione. Temporum enim rationem atque inclinationem permagni momenti esse in republica rectè observatum est olim. Ita Regino fit ex Abbate simplex monachus; & Richarius admodum juvenis in loco ejus ponitur anno, uti diximus, octingentesimo nonagesimo nono; cujus horrenda facinora ac mores Abbate parum dignos vehementer exagitat Fulcuinus in capite xix. de gestis Abbatum Lobiensium. Privati deinde hominis vitam egit Regino, cum libris suis se oblectans, semper ali-

quid scribens. Huic illius otio & quieti debemus præclarum istud opus de ecclesiasticis disciplinis & religione Christiana, quod jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis elucubravit circa annum Domini nongentesimum sextum. Eo perfecto opere, Chronica sua adornavit & confecit anno nongentesimo octavo; ut ipse fidem facit in epistola ad Adalberonem Episcopum Metensem, cui opus illud Chronicorum inscripsit. Fueritne postea superstes per multos annos invenire non potui. Est tamen qui existimat eum pervenisse usque ad annum saltem nongentesimum duodecimum. Illo verò tempore quo adhuc Regino Abbas erat Prumiensis, Hugo Lotharij Regis filius dolo captus ab Arnulpho, primùm oculis privatus est pro more illorum temporum, deinde in monasterium sancti Galli projectus, postremò temporibus Zventiboldi Regis factus monachus apud Prumiam. Testatur id ipse Regino his verbis: *Novissimè temporibus Zundibolchi Regis in Prumia monasterio manu mea attonsus est. Eram enim tunc temporis in eodem loco dominici ovilis, quamvis non idoneus, tamen custos.* Atque hæc de vita hominis dixisse sufficiat.

INCIPIT LIBELLUS] Hic est verus titulus Pag. 21.
istorum librorum. Sic enim omnino habet codex Viennensis ab Hildebrando laudatus, tum etiam codex M. S. Parisiensis quo nos usi sumus. Quin & Trithemij auctoritas ita confirmat, apud quem ita legitur in libro de scriptoribus ecclesiasticis, cum de his Reginonis libris agit: *Scriptis autem præfatum opus, quod prænotatur de ecclesiastica disciplina & religione Christiana, jubente Rathbodo Archiepiscopo Treverensi.* Hildebrandus, cum titulus deesset in codice academix Julix, & nihil adhuc certi compertum haberet de libro Viennensi, hunc titulum fecerat his libris: *De veteris Germaniæ disciplina ecclesiastica.* Postea, cum missus ad illum fuisset titulus ex codice Viennensi, ista posuit in fronte libri: *Reginonis Prumiensis de disciplina ecclesiastica veterum præsertim Germanorum libri duo.* Nobis religio fuit discedere à scriptura veterum codicum. Sed antè quàm ultra progrediamur, puto non injucundum

fore lectoribus eruditis si heic proposuero titulum horum librorum, qualis nimirum hodie est in vetustissimo codice Parisiensi, deinde qualis esse debuit. Sic igitur illic legitur.

INCIPIT LIBELLUS
DISCIPLINIS ET RE
COLLECTUS EX JUSSU
RATHBODI TREVERICÆ
A REGINONE ABBATE
MONASTERII EX DI
CONCILIIS ET DECRETIS
FELICITER IN DEI NOMINE.
A M E N.

Hunc titulum vir eruditissimus Joannes Morinus sic edidit in appendice libri de pœnitentia pag. 39. *Incipit libellus de disciplinis recollectus ex jussu Rathbodi Treverica à Reginone Abbate monasterij ex divinis Conciliis & Decretis.* Scilicet destitutus fuit codice in quo extaret integer titulus. Nam in isto habetur tantum media pars tituli, ea nimirum quæ caractere atro scribi debuit. Solebant antiqui librarij, venustatis causa, titulos librorum scribere interdum cum atramento, interdum cum minio, id est, rubro colore. unde rubrica pro titulo. Interdum verò utroque utebantur, scilicet ut prima linea atra esset, secunda rubra, tertia rursus atra, & sic de ceteris, vel è converso. Fortassis autem qui librum scribebat, non idem miniabat secundas lineas, sed illas alij cuiquam artificij miniandas tradebat. unde contingere quandoque poterat ut secundæ lineæ non describerentur per incuriam librariorum aut aliam ob causam, ut accidit huic libro Reginonis. Quod ut apertius evadat, heic visum est

sum est exhibere titulum istorum librorum, qualis nimirum esse debuit in codice Parisiensi, additis ex Viennensi lineis rubris quæ in nostro desunt.

INCIPIT LIBELLUS
DE ECCLESIASTICIS
 DISCIPLINIS ET RE
LIGIONE CHRISTIANA
 COLLECTUS EX JUSSU
DOMINI METROPOLITANI
 RATHBODI TREVERICÆ
URBIS EPISCOPI
 A REGINONE ABBATE
QUONDAM PRUMIENSIS
 MONASTERII EX DI
VERSIS SANCTORUM PATRUM
 CONCILIIIS ET DECRETIS
ROMANORUM PONTIFICUM
 FELICITER IN DEI NOMINE.

A M E N.

Illud etiam admonendum videtur, veteres illos librariorum colore quoque interdum cæruleo aut viridi ulos esse pro minio, ut videre est in vetustissimis codicibus manuscriptis.

RATHBODO] Fuit is Archiepiscopus Trevirensis, ut fert titulus, ordinatus anno DCCCLXXXIII. VII. Idus Aprilis, ut Regino tradit in libro secundo suorum Chronicorum. Huic enim credendum potius quam Trithemio, qui scribit in Chronico Hirsaugiensi ordinatum illum fuisse anno octingentesimo octuagesimo sexto. Erat autem Abbas Mediolacensis. Anno deinde DCCCLXXXIX. abbatia sancti Servatii Trajectensis unita est Ecclesiæ Trevirensi beneficio & auctoritate Arnulphi Germaniæ Regis; ut patet ex ejus Præcepto, quod editum est à Vvilhelmo Kyriandro ex Gestis Treverorum, deinde verò ab Auberto Myræo. quam donationem confirmaverunt sequentes Reges. De Rathbodo porrò vide quæ scribuntur in annalibus Fuldensibus ad annum nongentesimum.

QUONDAM ABBATE] Legendum *Abbate*
 LI

quondam. Error contigit ex transpositione vocabulorum.

INQUISITIO.

INCIPIT INQUISITIO] In veteri codice M S. Parisiensi hæc tantùm habentur, omiſſis videlicet lineis quæ minio rubricandæ erant.

VEL EJUS MINISTRI IN SUO
INQUIRERE DEBEANT PER
ATQUE PARROECIAS.

Nos reliqua ſupplevimus, partim ope horum duorum verborum *Finit Inquisitio*, quæ extrant poſt Inquisitionem in codice Parisiensi, tum etiam ex editione Helmæſtadienſi, quæ ſic habet in hoc loco: *Inſtructio de his quæ in viſitationibus Episcopum vel ejus ministros per vicus, pagos, & parrochias ſua diœceſeos inquirere olim oportuit.*

EJUS MINISTRI] id eſt, Archidiaconi, Archipreſbyteri, quibus ſub Episcopo incumbit ſollicitudo Eccleſiarum. Chartularium S. Dionyſij de Capella in diœceſi Bituricenſi cap. xxvi. *Monachi ſapiffime calumniantes, venientes in præſentiam Domni Richardi, fecerunt clamorem de Archipreſbytero ministro ſuo.* Vide Reginonem lib. II. cap. I.

IN PRIMIS] Non dubitabat Hildebrandus quin iſta Inquisitio pertineret ad collectionem canonum à ſe editam. Sed tamen nunc certum eſt eam à Reginone poſitam eſſe in initio libri primi, uti oſtendimus in præfatione. Præterea ea extrat in codice Reginonis eo ordine quo nos illam edidimus, id eſt, poſt titulum operis. Denique Trithemius de hac ipſa lucubratione agens, primaque illius verba, ut aſſolet, referens, hoc ejus exordium fuiſſe docet: *In primis inquirendum.* In præfatiuncula porrò quæ poſita eſt in fronte libri primi jam monuimus Inquisitionem iſtam fuiſſe formulam ſecundùm quam Episcopi & eorum miniſtri Preſbyteros interrogabant per parœcias, eaque formula uſum fuiſſe etiam Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem. Quod itaque tunc in averſione & quaſi per tranſennam dictum eſt, tantùm ut guſtus quidam

istius Inquisitionis daretur erudito lectori, nunc paulo uberius explicandum est ob dignitatem materiæ, qua vix ulla est illustrior in hoc genere studiorum. Primum itaque certum est eam sollicitudinem Episcopis antiquitus incubuisse ut plebes suas singulis annis per se visitarent, si id fieri absque gravi eorum incommodo posset; sin minus, certè per Presbyteros aut Diaconos probabilis vitæ, qui redditus basilicarum & reparaciones & ministrantium vitam inquirerent, uti scriptum est apud Reginonem in capite nono libri primi. qua de re pluribus nuper à nobis dictum est ad Agobardum. Presbyteri igitur qui plebes regebant, Episcopo aut ministris ejus rationem semel in anno reddere tenebantur suæ villicationis, tam de fide catholica & administratione sacramentorum quàm de bono basilicarum statu. Nulli enim sacerdotum licebat ignorare canones. Rudi deinde seculo, cum Presbyteri ut plurimum expertes erant ecclesiasticæ disciplinæ, exutâque esset omnis priscorum canonum, ut vetustate exoletorum, reverentia, necessarium fuit illis componi brevissimum regularum suarum breviarium, ne quis ignorantia prætextu se tueri posset. Quam ob rem edita est Admonitio illa quæ nunc circumfertur sub nomine Leonis I V. in qua continentur vivendi & docendi ecclesiasticæ regulæ. Sed antè quàm de illa plura dicamus, operæ pretium est observare consuevisse rusticinarum Ecclesiarum Presbyteros ad civitatem venire singulis annis in cœna Domini, duabus de causis. primum *pro inquisitione ministerij sui*, deinde *pro chrismate accipiendo*, ut verbis Hincmari utamur ex Capitulis ejus tit. v. cap. v. Simul autem, ex instituto Karlomanni Principis in synodo cui sanctus Bonifacius interfuit, reddere tenebantur Episcopo rationem ministerij sui; ut patet ex ejus decreto, quod extat in libro quinto Capitular. cap. II. *Decevimus quoque juxta sanctorum canones ut unusquisque Presbyter in parochia habitans Episcopo subiectus sit illi in cujus parochia habitat, & semper in quadragesima rationem & ordinem ministerij sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus & ordine Missarum, Episcopo reddat & ostendat.* Refert istud decretum & Bonifacius in epistola cv. ad Cudbertum. Capi-

INQUISITIO. tula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. LXXII. *Vt discendi gratia ad civitatem, vel ad loca constituta, Presbyteri veniant quadragesimali tempore.* Postea verò istud mutatum est, vetitumque ne Presbyteri ad civitatem discendi gratia veniant tempore quadragesimali; ut patet ex Reginone lib. I. cap. LXXVI. Unde in libro VII. Capitular. cap. CVIII. scriptum est simpliciter absque nota temporis: *Vt unusquisque Presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerij sui reddat, tam de fide catholica, quàm de baptismo, atque de omni ordine ministerij sui.* Sed quamvis mutatum esset tempus quo venire ad civitatem Presbyteri debent pro inquisitione ministerij sui & ut simul redderent rationem villicationis suæ, tamen manebat constitutio illa quæ Presbyteros semel in anno statuit ad Episcopum in civitatem venire synodo ejus interfuturos; ut patet etiam ex Concilio Arelatensi VI. cap. IV. In hac ergo synodo, post lectum evangelium, Diaconus publicè legebat Admonitionem de qua mox dicebamus; ut patet ex editione ejusdem Admonitionis quæ præfixa est Decreto Burchardi, ubi sic legitur: *Admonitio in synodo, finito evangelio, à Diacono legenda, Episcopo & ceteris in ordine sedentibus.* Istud ipsum probatur ex vetusto codice nostro M S. ubi hæc leguntur: *Postea legatur evangelium solito more: Respiciens Iesus discipulos suos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit in te frater tuus. Sequantur septem psalmi cum precibus quibus placuerint. Quibus finitis, Episcopo & ceteris in ordine sedentibus, à Diacono legatur hæc Admonitio: Fratres Presbyteri &c.* Postea introductum est ut illam Episcopus legeret, si vellet. Nam in Ordine Romano, cum ventum est ad hunc locum, pro eo quod codex noster habet *à Diacono legatur &c.* ita scriptum est: *ab ipso Episcopo sive à Diacono ex ipsius persona legatur hæc admonitio.* Demum, cum nollent Diaconum heic agere ministrum Episcopi, mentionem ejus ab hoc loco sustulerunt. In Pontificali quippe Romano Augustini Patritij de Picolominibus Episcopi Pientini ac in illis quæ postea cusa sunt ita legitur, nulla Diaconi mentione: *Demum Pontifex adhuc in sede prædicta cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet & exhortatur sub hujusmodi verbis: Fratres*

carissimi &c. Sed redeamus ad antiquitatem. Deinde Episcopus in synodo uniuscujusque parœciæ, cum visitationis munus obibat, Presbyteros interrogabat secundum titulos Admonitione illa comprehensos. Synodum vocavi visitationem Episcopi, Concilij Rotomagensis auctoritate fretus: ubi, prout à Reginone laudatur in initio libri secundi, præcipitur Archidiaconi & Archipresbyteris qui parœcias visitant cum Episcopo, uti cum is ad aliquam Ecclesiam accessurus est, ei præcant uno vel duobus diebus, plebêmque admoneant *ut omnes ad ejus synodum die denominata impratermissè occurrant.* Sed quid opus, inquires, ut plebes adsint in Ecclesia cum Episcopo, quando ille visitat parœcias suæ diœceseos? Primum, quoniam Episcopus inquisiturus erat de vita & conversatione Presbyterorum ac sequentium Clericorum, testimonium habendum erat Christianæ plebis quæ illic vice Christi regebatur. Sed præterea Episcopus in synodo illa interrogabat etiam de vita laicorum, si quis videlicet incestum, adulterium, aut homicidium commisisset, si quis alienas res rapuisset, & plurima hujusmodi, ut patet ex Reginone lib. I. cap. VII. & X. & lib. II. cap. V. Ea causa erat adunandæ plebis ecclesiasticæ. Atque in sancta illa præcorum Episcoporum cura & diligentia positus haud dubiè erat nervus ecclesiasticæ disciplinæ; qua ruente, necesse est omnia in pejus ruere & retro collapsa referri. Igitur ut ad rem ipsam veniamus, sic constituere possumus, Inquisitionem illam, ut & Admonitionem, non unius cujuspiam diœceseos fuisse, sed generalem omnium, adeoque usu receptam per omnes Occidentis regiones. Admonitionem sanè, cui respondent tituli Inquisitionis, per omnes ubique orbis nostri provincias usurpatam fuisse hinc colligi potest quòd in fronte Burchardi, uti jam adnotavimus, & in veteri codice nostro M S. descripta est tanquam formula eorum quæ ab unoquoque Episcopo adnuntianda erant Presbyteris in synodo civitatenû residentibus. quam sententiam confirmat & hodiernus Ecclesiæ usus, secundum quem ea Admonitio, quamvis multùm diversa & mutata ab illa veteri, ab Episcopo mitrato legitur residente in sua synodo diœcesana. Præterea cum illa antiquitus in va-

INQUISITIO.

riis regionibus ac dioccesibus usitata fuerit, par est existimare factum id ab Episcopis ex formula. Nam usu cognitam fuisse in Hispania Tarraconensi ex eo colligi abundè potest quòd descripta reperitur inventustissimo codice M. S. monasterij Rivipullensis in diocesi Aufonensi. Pro Italia fidem faciet Ratherius Episcopus Veronensis, qui illam totam integram inseruit in suo sermone synodali, qui editus est in tomo secundo Spicilegij Dacheriani. In Germaniam denique penetrasse docet editio illa Burchardi quam supra memoravimus, tum etiam vetus codex M. S. monasterij Neresheimensis in diocesi Augustana, ubi illa habetur sub titulo sermonis synodalis. Hunc sermonem Marcus Velferus edendum dedit primùm Jacobo Gretsero in calce Apologiae Baronianae pag. 457. deinde verò Severino Binio in secunda Conciliorum editione. Frustra porrò est idem Velferus; qui propterea quòd codex ille Neresheimensis scriptus est anno M. C. X. existimat sanctum Udalricum Episcopum Augustanum istius sermonis auctorem esse. Frustra inquam, cum ex his quae dicta haecenus sunt facile colligi possit Admonitionem illam multò antiquiorem esse sancto Udalrico. Existimant vulgò conditam illam fuisse à Leone I. V. Pontifice Romano, cui illam tribuunt nonnulli vetusti codices. Sed ego puto illam Leone antiquiorem esse & eodem prorsus tempore emeruisse quo Inquisitio prodiit. In ea verò sententia omnino sum, ut quoniam nonnulla in Inquisitione continentur adversus paganos & mores ac superstitiones à paganis descendentes, putem illam fuisse conditam aëvo sancti Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, aut certè non ita multò post, subinde verò auctam & emendatam pro variis Ecclesiarum ac provinciarum consuetudinibus & moribus populorum. Multùm interim debemus Reginoni, qui nobis illustre hoc antiquitatis monumentum conservavit integrum, adeoque locum dedit huic nostrae observationi. Optandum autem esset ut quemadmodum Admonitio retinetur magna ex parte, ita Inquisitio revocaretur in usum à sanctissimis seculi nostri Episcopis, ut una disciplinae forma esset in omnibus, & ut miserrimi rusticarum Ecclesiarum Presbyteri, qui maximam partem

eorum quæ Admonitione & Inquisitione continentur INQUISITIO
 prorsus ignorant, ad cognitionem traherentur & studium earum rerum quas ipsos scire necessarium omnino est ut iram vitare possint summi pastoris pastorum Domini nostri Jesu Christi. Quotus enim quisque est hodie, præsertim in provinciis ab humanitate soli Parisini distitis, cui hæc nota sint? Sed Episcoporum ista cura est, non Clericorum. Iraque ipsi viderint, Ego me culpa libero.

MISSAL. PLENAR.] Ita codex Parisiensis & editio Helmæstadiensis. & consentiunt etiam omnes editiones Admonitionis. Vvalterius tamen Aurelianensis cap. VII. habet, *Missalem, Psalterium*. Hanc lectionem adjuvat caput LXXI I. libri primi Capitularium: *Evangelium & Psalterium & Missale*. Vide etiam Bedam in capite secundo libri de remediis peccatorum. c. 10.

RETIATI] Editio Helmæstadiensis & Capitula Hincmari habent *recitati*, nullo, ut arbitror, sensu. Nam isthic non agitur de recitatione divini officij, sed an libri ad rem divinam faciendam necessarij sint bene religati & compacti. Quemadmodum enim summa cura providebant ut libri illi bene correcti essent & emendatissimi, ut patet ex variis locis Capitularium & ex institutionibus Episcoporum illius ævi, ita profectò debebant providere ne per incuriam dissipari possent, si religati ac compacti probè non fuissent. Ea de causa Episcopus inquirebat per parœcias an bene retiati essent. Retiatos autem dixerunt, ut opinor, similitudine ducta à retibus factis ex nervis, partem pro toto accipientes. Nam libri in dorso religantur ad nervos. c. 11.

CERARIOS] Lib. v. Capitular. cap. CXXVIII. & lib. III. Lég. Longobard. tit. v cap. I. *De cerariis & tabulariis & chartulariis sicut à longo tempore fuit observetur*. Cerarios Lindenbrogius interpretatur eos qui cera obsignant literas, quem sequitur Spelmanus. Heic tamen apud Reginonem longè aliud significat hoc vocabulum. Moris haud dubiè tum erat, quod & hodie quoque apud Lemovices observatur, ut in unaquaque Ecclesia esset certus cereorum numerus, sed cereorum qui hominis staturam æquarent, ita porrò crassi essent ut eos homo ambabus manibus amplecti aut comprehendere vix posset, moles cereorum, ut c. 12.

INQUISITIO.

vocat Vigilantius apud Hieronymum. Cereos, ut dixi, istiusmodi pro cuiusque facultatibus plures aut pauciores habent Ecclesiæ Lemovicum, qui in multos annos durant, & *Cires* vocantur. quod vocabulum nihil præterea significat quàm istud cereorum genus. Ij ergo intra Ecclesiam servabantur in certo loco, in conspectu tamen fidelium semper positi; accendebantur autem in præcipuis festivitatibus, tum etiam circumferebantur in processionibus. Nam ista sic hodie fiunt ex veteri haud dubiè instituto. Et quia cerei illi diù durabant, numerabantur in suppellectili Ecclesiæ. Eam itaque ob causam inquirebant olim quot cerarios haberet unaquæque Ecclesia.

- c. 13. **BONVARIA**] Editio Helmæstad. *bona arva*. Hincmari Capitula tit. II. cap. II. *Si habeat mansum habentem bunnuarua duodecim*. Idem Hincmarus in opusculo LV. capitulor. cap. I. de Attolæ curte: *Non habet nisi de terra arabili bunnuarua duo semis, & de alia terra &c. bunnuarua quatuor semis, qua in summa sunt de terra arabili bunnuarua septem*. Lotharius Imperator lib. III. Leg. Longobard. tit. I. cap. XLVI. jubet ut secundum constitutionem Ludovici patris sui unicuique Ecclesiæ *unus mansus cum xij. bunvariis de terra arabili detur*. Præceptum Karoli Calvi pro monasterio sancti Bertini in Sithiu: *mansum indominicatum cum bunvariis decem*. Charta Macharij & Gondradæ pro Ecclesia Cameracensi apud Baldericum lib. I. cap. LII. *Mansum dominicatum cum castitiis, ad quem respiciunt de terra arabili bunvarua quatuor*. Glossarium Papiæ: *Bunvarium, mensura quadam terræ, sicut jugera*. Igitur per mansum habentem bunvarua duodecim intelligi debet mansus in quo tantum terræ arabilis sit quantum opus est ad seminandum duodecim modios. Juvat hanc interpretationem vetus charta Jonæ Episcopi Augustodunensis edita in tomo VIIII. Spicilegij Dacheriani pag. 147. ubi, pro eo quod heic habetur *bonvarua duodecim*, legitur: *Dono etiam in loco qui appellatur Biat terram arabilem ad modios duodecim*.
- c. 18. **LAICO AUT FEMINÆ**] Admonitio synodalis antiqua: *Et nullus presumat tradere communionem laico aut femina ad deferendum infirmo*. Vir clarissi-

mus Henricus Valefius, cùm non animadverteret Admonitionem istam multò antiquiorem esse ævo Rathenij Episcopi Veronensis & Udalrici Episcopi Augustani, ex eo loco collegit usum illum tradendi communionem laicis ac feminis ad deferendum infirmis perseverasse in Ecclesia usque ad decimum seculum. quam conjecturam amplexus postea est vir eruditus qui nuper in lucem emisit historiam eucharistiæ. Falsa argumentatio. Nam si isto argumentandi genere uti liceret, pari ratione necessariò colligeremus rem quam omnes scimus esse falsissimam, nimirum eundem usum mittendi eucharistiam infirmis per laicos ac feminas etiamnum perseverare in Ecclesia, cùm in Admonitione synodali quæ per universas Occidentis Ecclesias singulis annis legitur ab Episcopis in suis synodis diocesanis ita scriptum habeatur in Pontificali Romano: *Nullus presumat tradere communionem laico aut femina ad deferendum infirmo.* Vide infrà lib. I. cap. cxx. & cxcix.

IN VADIUM DARE] pignori tradere, *donner* c. 36. *engage.* pro quo & ætas Hincmari & sequentia secula dixerunt etiam vadimonium, ut infrà adnotabitur. inde invadiare, *engager.*

IN AMORE SANCTOR.] Infrà lib. I. cap. c. 39, cxxiii. *nec precari in amore sanctorum vel ipsius anima bibere.* Vide Cæsarium Arelatensem homilia sexta inter eas quæ à nobis editæ nuper sunt.

TURPIA IOCA] Infrà cap cxxiii. libri primi: *vel turpia joca.* Sic tum dicebant pro *turpes jocos.* Falluntur ergo qui ista tentant emendare ad leges grammaticæ, Concilium Remense sub Karolo magno cap. xvii. & Additio III. Capitular. cap. xviii. *Vt Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant.* Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. cviii. *Vt Presbyteri & Clerici ante se joca turpia fieri non permittant.* Sic *lusa diabolica* ibidem cap. cxiv.

SI NIHIL PATRIMONII] Vide quæ de hac c. 40. re dicta à nobis sunt ad librum tertium Salviani adversus avaritiam pag. 425. postremæ editionis.

SI MISSAM CANTAT] Infrà lib. I. cap. c. 42. cxcix. *Dictum est nobis &c.* Istud prohibebatur

INQUISITIO.

haud dubiè ne sacrificium videri posset imperfectum si Presbyteri non communicarent de corpore Domini. Quod crimen adeo magnum putabant antiquitus ut inter ceteras gravissimas accusationes adversus Joannem XII. propositas in Concilio Romæ habito anno DCCCCLXIII. testetur continuator Luitprandi lib. VI. cap. VII. objectum illi fuisse quòd Missam aliquando celebrasset & non communicasset. Petrus, inquit, *Cardinalis Presbyter se vidisso illum Missam celebrasse & non communicasse testatus est.*

- c. 51. SI INDIFFER. BAPTIZET] id est, utrum absque necessitate baptizet alio tempore quàm in Paschate & Pentecoste.
- c. 57. EX CORDE SUO] Illud vult Inquisitio, ut cùm Presbyter exceperit confessionem pœnitentis, ei pœnitentiam injungat juxta modum culpæ, *non ex corde suo*, id est, non ex animi sui motu, non ex impetu quodam mentis & voluntate, sed prout in Pœnitentiali scriptum est, in quo omnia peccatorum remedia, omnes pœnæ continentur. Eam ob causam edicitur infrà in capite xc v. istius Inquisitionis ut quilibet Presbyter habeat Pœnitentiale, *ut secundùm quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentia imponat.* Et Karolus magnus in fine Capitularis ad Salz admonet ut unusquisque Presbyter *de canonibus doctus sit, & suum Pœnitentiale bene sciat.* Quantum autem absumus à modestia illorum temporum !
- c. 66. CUM ILLA ALBA] Admonitio synodalis antiqua: *Nullus in alba qua in suos usus utitur presumat cantare Missam.* Capitulare Riculfi Episcopi Sueffionensis cap. VII. *Hoc autem omnimodis prohibemus, ut nemo illa alba utatur in sacris mysteriis qua in quotidiano vel exteriori usu induitur.* Hinc ergo colligitur Presbyteros alba semper indutos fuisse antiquitus, eaque nota distinctos fuisse à Clericis inferiorum ordinum, quibus albæ usus erat interdictus extra tempus oblationis vel lectionis. Concilium Carthaginense I v. cap. IV. *Vt Diaconus tempore oblationis tantùm vel lectionis alba utatur.*
- c. 69. SI DIEM DOMINIC] Vide Notas ad Agobardum pag. 20. & ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 45.

INGENUUS] id est, liberæ conditionis. Gregorius Turonensis lib. x. cap. xxix. de Aredio Abbate: *Lemovicina urbis incola fuit, non mediocribus regionis suæ ortus parentibus, sed valde ingenuus.* id est, nobilis. Inde servus vel colonus qui beneficio domini libertatem consecutus erat, ingenuus dicebatur & ingenuitate donatus. Hinc carta ingenuitatis in libris Capitularium, in lege Longobardorum, & alibi.

SERVILI CONDITIONE] id est, si servus sit originalis, natus è servis. Vetuerat enim sanctus Leo ad Episcopos per Campaniam, Picenum, & Tusciam constitutos scribens, ne quis eorum qui originali aut alicui conditioni obligati sunt, ad ordinem sacrum admitteretur, nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. qui locus relatus est in libro septimo Capitular. cap. xxxiv. Inde *servus à nativitate* in epistola cvi. inter Bonifacianas. In epistola denique cleri Ravennatis ad Karolum juniorem, quæ à Cordeſio edita est, aiunt hanc consuetudinem esse in Ecclesia Ravennatensi, ut qui ad sacerdotij dignitatem ordinandus est, is interrogetur *si servili aut originaria conditioni* obnoxius sit. Ebbonem Remensem Archiepiscopum fuisse *ex originalium servorum stirpe* scribit Theganus in capite xlii. de gestis Ludovici Pij. Omnino autem puto servorum nomine, præter propriam vocabuli significationem, intelligi colonos, id est, eos qui dominis locorum & villarum ab origine sua debebant operas pro colendis agris. Cùm enim dominis opus esset plurima colonorum hujusmodi multitudine, nolebant eos fieri Clericos, ne quid utilitatibus suis decideret. Sed postea quàm ista mutata sunt, tum coloni quoque facti sunt Clerici absque voluntate dominorum. Reperio tamen in veteri regesto archivi regij Paris. transactionem, ut vocant, initam anno m c c l x x i. inter dominam & colonos de Vendopera, vulgò *Vandeuve*, in qua inter cetera continetur non posse filios habitatorum illius loci offerri ad clericatum præter consensum dominorum, aliàs illos hereditate paterna privandos esse qui contra promoverentur ad ordines ecclesiasticos. Hæc sunt verba veteris instrumenti: *Et il ne pourront faire leurs*

INQUISITIO.

enfants Clers se n'est par la volenté de ladicte Dame & du devant dit Seigneur & de leurs hoirs. Et cils qui le feront, seront en la merci de la devant dicte Dame & au Seigneur. Et otroient que li Clers qui seroit fait encontre la volenté au Seigneur ne preigne riens es biens du pere ne de la mere, ainçois seroient au Seigneur. Denique etiam Philippi I V. ævo hoc jus valuisse inter Francos patet ex literis istius Principis quas edemus in appendice actorum veterum. Vide porrò formulas veteres incerti auctoris cap. VIII. & cap. Eò lubentiùs. de serv. non ordin. ex libro x. Regestor. Innocentij III. epist. LXXIII.

c. 83.

BENE LEGERE] Ea igitur erat seculi illius infelicitas ut necesse esset Presbyteros ab Episcopis interrogari utrum bene legere nossent. Quod non solum in Presbyteris inferioribus contingebat, sed etiam in illis interdum qui ad summum sacerdotium eligebantur. Testis Karolus Calvus in epistola ad Nicolaum Papam, loquens de Gislemaro, qui ad pontificatus honorem electus erat in Ecclesia Remensi. *Qui dum ante Episcopos discutiendus adsedisset, oblatus est ei textus evangelicus. Cùm autem ipsum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes pariter cognovissent, reprobatus ac velut insipiens ab omnibus est dejectus.* Istud ipsum deplorant Episcopi in Concilio Valentino congregati anno DCCCLV. his verbis: *Et quia indiscussi & inexaminati, scientiaque literarum penè ignari, minusque apostolica præceptioni appropinquant, peccatis nostris agentibus, per civitates Episcopi ordinantur.* Quod adversùm se scriptum esse docet Hincmarus in capite XXXVI. posterioris operis adversùm Gothescalcum. *Quid autem faciunt hodie qui librorum divinorum editiones procurant quàm ut Presbyterorum nostri seculi inscitiam prodant, cùm in Missalibus & Breviariis notant accentus? Annon ita fit quia putant libros illos in manus talium Presbyterorum incidere posse qui bene legere nesciant, adeoque juvandos esse notatione accentuum?*

c. 84.

EX CORDE] *par cœur, memoriter.* Regula sancti Benedicti cap. IX. *Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda.* Capitulare Ahytonis Episcopi Bafilensis cap. IV. *Vt fides sancti Athanasij à sacerdotibus*

discatur, & ex corde die dominico ad horam primam INQUISITIO.
recitetur. quem locum facilè explicat sequens caput
istius Inquisitionis. Vide infrà lib. I. cap. CCLXXII.

AGENDIS DEFUNCTOR.] id est, in precibus c. 82.
publicis quæ fiunt pro mortuis. Beda lib. II. hist. ec-
cles. cap. 111. *Agenda illorum solemniter celebrantur.*
Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. cxvi.
*De orationibus & elemosynis & Missarum celebrationi-
bus pro fidelibus defunctis agendis.* Agenda igitur dicta
ab agendo Missam. Lib. VI. Capitular. cap. c1. *Qui in
domo sua oratorium habuerit, orare ibidem potest. Missas
tamen in eo celebrare non audeat nec agere cuiquam per-
mittat sine permisso vel dedicatione Episcopi loci illius.*
Concilium Carthaginense secundum cap. IX. *Quisquis
Presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco vo-
luerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.* Re-
fertur hic locus in libro sexto Capitular. cap. ccxxxiv.
& Additione IV. cap. I. ubi legitur *agendam* pro eo
quod editiones Concilij Africani habent *agenda*. In li-
bro tamen quinto cap. xxxviii. *agenda* legitur tam
in libris editis quàm in manuscriptis. Vide eruditissi-
mum virum Hugonem Menardum in Notis ad Con-
cordiam regularum pag. 355.

COMPUTUM] Capitula Herardi cap. cxxv. c. 91.
Ut Presbyteri computum discant. Istud summa cura tum
providebant Episcopi, ut nullus Presbyterorum igno-
raret computum. nimirum ut eo pacto invenire facilè
possent epactas, concurrentes, literas dominicales,
festa mobilia, & alia hujuscemodi. Extat autem de
hoc argumento dialogus Rhabani nondum editus,
Macario monacho dicatus; cujus meminerunt Rudol-
fus monachus & Trithemius.

SAPIAT] Sciat. Bonifacius epist. cxxxii. ad
Zachariam: *consilium & preceptum vestra auctoritatis,*
id est, apostolica sedis, habere & sapere debeo. Lib. VII.
Capitular. cap. 100. & apud Ivonem parte VI. cap.
300. *Sacerdotes qui rite non sapiunt adimplere ministe-
rium suum.* Jonas Episcopus Augustodunensis in tomo
octavo Spicilegij Dacheriani pag. 146. *pro posse & sa-
pere.* RATHERIUS Veronensis in tomo secundo ejusdem
Spicilegij pag. 305. *Quod si vis ad Ecclesiam sancti
Michaelis ire, sapias, dicit RATHERIUS Episcopus, quod*

non libentius te recipit in secunda feria sanctus Michæl quàm in alia. Inde sapientia pro scientia vel arte infra lib. II. cap. 368.

L. II. I.

EX CAPITULIS SYNOD.] Duplex ergo Capitulorum regionum genus erat. Et alia quidem erant regia simpliciter, id est, in Consilio Principis inventa & statuta. Alia verò erant synodalia, regia sanè, sed in synodis facta, & ut plurimum de rebus ecclesiasticis. qualia sunt ista. Hincmarus in epistola xxix. & in libro de divortio Lotharij & Tetbergæ in responsione ad sextam interrogationem: *Nec praterendum quia legimus in Capitulis Augustorum fuisse vetitum frigida aqua iudicium, sed non illis synodalibus qua de certis accepimus synodis.*

- c. 5. PROPTER SUAM QUIETEM] Haud dubiè moles negotiorum major incumbit Episcopo cum in civitate est quam cum in rurali parœcia degit, præfertim si ea multum remota à civitate sit. Quam ob causam visum est interdum nonnullis, qui liberioris ac quietioris vitæ cupidine ducebantur, deserendam esse cathedram principalem ut ad rusticanam quampiam parœciam se conferrent. Istorum temeritatem compescuit synodus quinta Carthaginensis, in qua sic scriptum est: *Placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in diocesi constitutam se conferre.* Tanti autem momenti Karolo magno visa est hæc regula ut eam legis vicem in Gallia obtinere voluerit, ita præcipiens lib. I. Capitular. cap. xli. *Vt non liceat Episcopo principalem cathedram sua parochia negligere & aliquam Ecclesiam in sua diocesi magis frequentare.* quem locum ex Concilio Rotomagensi cap. xvi. refert Burchardus lib. I. cap. lxxxix. Nolebat enim illum laudare ex libris Capitularium. Qui ergo privatum secessum quarebant propter suam quietem, iidem pro sua quiete & voluptatibus (ut acriter conqueritur Hincmarus in epistola xlv. cap. xvi.) Chorepiscopos sub se habebant; ut interim dum ipsi venationi, aucupationi, & ceteris seculi oblectamentis operam dabant, quod agi solitum à plerisque seculi illius Episcopis testatur Agobardus, Chorepiscopi vicem eorum in omni ministerio episcopali supplerent, & omnino ipsos fasce levarent epif-

copali. Itaque patres Concilij Meldensis, qui in isto LIB. I.
capite inuicuntur aduersus Episcopos propter suam
quietem ad remotiora loca secedentes, in capite dein
x l i v. damnantes eos qui ministerium suum commit-
tunt Chorepiscopis, malum illud ortum esse aiunt ex
desidia Episcoporum. Et antea Karolus magnus mo-
nuerat lib. v i. Capitular. cap. c x i x. Chorepiscopos
factos esse ab Episcopis indoctis & qui *quietibus ac de-
lectationibus suis* inhærebant. Viderint Episcopi no-
strates an hæc querela in illos competat, id est, utrum
voluptatibus suis magis dediti sint quàm curæ gregis
dominici.

PLACUIT] Ex Concilio Bracarensi I I. cap. I I. c. 11.

DUOS SOLIDOS] nimirum pro iure visitatio-
nis, ut hodie loquimur. Eo fortassis iure nixus Gaus-
bertus Cadurcorum Episcopus, qui circa annum
D C C C X L V. eam cathedram tenuit, Ecclesiæ sanctæ
Mariæ Carbonacensis tribuens nonnullas res, hanc
conditionem apponit tabulis donationis: *Sed annua-
tim, festiuitate sancti Stephani, qua celebratur VII.
Kal. Ianuarij, partibus nostris successerúmque nostrorum
solidi duo persolvantur.*

DE LATA] Caput istud non extat hodie inter c. 12.
canones Concilij Triburiensis. Refertur tamen etiam
à Burchardo. Sed is accepit ex Reginone. Sancta pro-
fectò constitutio & sanctissimis Episcopis dignissima.
Præuerant autem illis Karolus Calvus in Capitulari
Tolosano cap. v i. & Episcopi apud Valentiam in
Viennensi provincia congregati anno D C C C L V. Vide
lib. v. de concordia cap. 51. §. 7.

MANSIONES] id est, procurationes, ut se-
quens ætas vocauit. Nam alibi mansionum nomine in-
telliguntur ædes & hospitia. Gregorius Turonensis lib.
I I I. cap. x v. *ingressus mansionem domini sui.* Lib. v i.
Capitular. cap. L X X I I. *Si quis homini aliquò per-
genti mansionem vetauerit.* Et alibi sexcenties. Hinc
mansionaticus pro iure hospitij quod domino debeba-
tur expensis possessoris, id est, procuratio. Vide Sir-
mondum in Notis ad Capitula Karoli Calvi pag. 105.

NISI ANTEADOTEM] Lib. I. Antiquita- c. 23.
tum Fuldenf. pag. 526. *Hæc est dos & terminatio cum
qua dotatur & sanctificatur Ecclesia Estigenfeld ab Erhe-*

naldo Archiepiscopo, quando simul Abbas & Episcopus extitit. Operæ pretium fuerit, ad illustrandum hunc canonem Vvormatiensem, referre literas Jonæ Episcopi Augustodunensis de dote & consecratione basilicæ sancti Sebastiani apud Montem Buzninum. Præclarum profectò antiquitatis monumentum, cui edendo non alibi commodior erit locus. Dabimus itaque post Notas in appendice actorum veterum. Interim heic adnotabimus laicos qui fundabant & dotabant Ecclesias, sibi retinuisse Ecclesias à se dotatas & potestatem tribuendi beneficij, cùm Ecclesia viduata esset, tanquam patronis. Quo fiebat ut qui Ecclesias obtinere à patronis volebant, eas vel numerata pecunia vel fœdis obsequiis acquirerent. Declamat vehementer adversùs perditissimam illam consuetudinem Hincmarus Archiepiscopus Remensis in suis Capitulis tit. i v. cap. v. aperte scribens Presbyteros qui ista faciebant, se suosque nutritos, id est, Clericos in Ecclesiis suis educatos & altos, in maledictionem mittere, *cum dato patronis premio vobis & illis peccatum emitis.* Rursum qui fundabant Ecclesias, ea mente illas fundabant, ut Presbyteros in possessionibus suis habere possent qui eis divina officia ac mysteria celebrarent, ut necesse illis non esset ire ad Ecclesias parœciales intra quarû limites novæ illæ Ecclesiæ ædificabantur, quemadmodum graviter conqueritur Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus in capite undecimo libri de privilegio & jure sacerdotij. Ea de causa sibi retinebant, ut dixi, potestatem tribuendi beneficij. Atque ut id faciliùs obtinerent ab Episcopis, quibus veritum erat ne consecrarent novas Ecclesias donec eis constaret illas esse dotatas, aliquam agrorum suorum partem assignabant pro dote Ecclesiæ. Unde facilè colligitur verissimam esse clarissimi viri Francisci de Roye Antecessoris Andegavensis conjecturam, qui existimat fundatorem ideo appellatum esse patronum quòd quondam fuerit dominus eorum ex quibus fundata est Ecclesia. Sed ex literis Jonæ Episcopi Augustodunensis colligimus non absurdam esse illorum opinionem qui putant fundatores Ecclesiarum appellatos fuisse patronos à patrocinio quod illis præstare debent. Nam conditor Ecclesiæ Montis Buznini hanc conditionem apponit

ponit in chartula dotis: *Ea videlicet conditione ut dum nos vel unus legalium heredum propinquior superstites apparuerimus, non tam jure dominationis & hereditatis quàm defensionis & protectionis in mundeburdum omni tempore vita nostra habere valeamus.* Certè Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. xlv. adnotavit jus patronatus inventum esse ad defensionis subsidium, ut rectè observatum est ab eodem Antecessore.

MANSUS INTEGR] id est, qui habeat bun- c. 24.
 varia duodecim, ut dictum est in Inquisitione. Unde conqueritur Hincmarus Remensis Attolæ currem habere tantùm bunvaria septem de terra arabili. Rectè ergo Hadrianus Valesius vir clarissimus in libro xxv. rerum Francicarum loquens de possessionibus quas Karolus Martellus ademit Episcopo Autissiodorensi, cui centum tantùm mansi, ut Robertus scribit, relictis sunt, de his inquam agens Valesius interpretatur mansos illos fuisse duodenum circiter jugerum singulos.

ALIQUOD SERVITIUM] Hæc lex ostendit agros & possessiones quæ ad Ecclesiam pertinent, immunes esse à pensitatione tributorum ac vectigalium, mansum nimirum illum de quo paulò antè dictum est, & omnes omnino res quæ ad Ecclesiam pertinent. id quod sequens ætas vocavit fiscum presbyteralem, feudum presbyterale vel sacerdotale, item ministerium presbyterale. At si Presbyteri, qui Ecclesias illas regunt, aliquos agros habent sibi proprios, agrorum illos conditionibus obnoxios esse. Vide exceptiones Egberti Archiepiscopi Eboracensis cap. xxv.

CUM SUA LEGE] id est. Qui ista fecisse con- c. 27.
 victus fuisset, non solùm ablata restitueret, sed insuper legis mulcta ei irrogaretur, id est, legis secundùm quam Presbyteri vixerint. Nam tum in regno Francorum, ut diversæ gentes, ita diversæ leges erant. Franci enim sua lege vivebant, Longobardi sua, Burgundiones item & Saxones sua, ac sua Gotthi, & sic de aliis; uti diximus ad legem Agobardi adversus legem Gundobadi. Secundùm porrò diversas leges diversæ erant mulctæ legibus constitutæ. Nihil autem vulgatius in his libris Reginonis & in libris Capitularium quàm hæc verba, *suam legem restituant, cum sua lege componant*, & alia similia. Legis ergo vocabulo

hec multa intelligitur. Charta de Balbiniaco in veteri Chartulario Ecclesiae Augustodunensis: *Quod si forte incontinentes manus ad aliquid juris praefata Ecclesia extenderent, infra quadraginta dies ex quo positi essent ad rationem, rem ablatam sine lege restituerent. Sed si infra quadraginta dies non fieret restitutio, ultra quadraginta dies capitale rediret cum lege.*

c. 36. DE OPERE] Justissima lex. Quid enim aequius quam ut hi suppeditent sumptus ad restaurandam Ecclesiam qui bona ejusdem Ecclesiae possident? Sed si hodie lex ista locum haberet, & qui decimas infeodatas tenent, & qui pensiones, ut vocant, super beneficiis ecclesiasticis constitutas habent, ij omnes pro sua quisque portione tenerentur ad reparationem Ecclesiarum. Verum sic gravissima injuria fieret juri quod nunc publicum est.

NONAS ET DECIMAS] id est, quintam partem fructuum ex praediis quae laici ab Ecclesiis tenebant in feudum, cujusmodi illi generis essent; ut rectè explicat vir illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in libro primo historiae Benearn. cap. xxviii. §. xv. Hinc nonarum & decimarum vestitura in diplomate Karolomanni Regis pro Ecclesia Aurelianensi. Hinc Lambertus Cenomanensis Episcopus ad Hildebrandum Sagiensem Episcopum scribit excommunicatum à se fuisse Rainonem quendam, qui nonam & decimam Ecclesiae suae retinebat.

BANNUM NOSTRUM] id est, bannum dominicum, bannum regium. Bannum hoc loco idem quod lex, multa, seu emenda, ut hodie loquimur. *Il bannendera.* Infra pag. 214. 324. & 368. bannus Episcopi. Nam alibi bannus interdum significat edictum sive publicam denuntiationem factam per praconem, interdum verò confiscationem, proscriptionem, exilium, ut adnotat Sirmondus ad Capitula Karoli Calvi.

BENEFICIUM] feudum, ecclesiasticum nimirum; ut patet ex verbis legis, & docet etiam capitulum xliii. istius libri, itémque xlvii. Hereditaria autem ut plurimum erant illa beneficia, ut patet ex libris Capitularium. Insignis est in eam rem locus ex dialogo de statu Ecclesiae quem vir clarissimus Joannes Cordesius Canonicus Lemovicensis edidit cum epistolis

Hincmari. Itaque in dialogo illo sic legitur : *In Saxonia autem & Germania partibus quandam umbram iustitiae in hac re adhuc reservari opinio est. Inthronizato enim Episcopo, omnes quicumque Ecclesia beneficia tenent, ante pedes Episcopi inthronizati ea deponunt, in potestate Episcopi quem honorare antiquo beneficio vel quem ex-poliare malit relinquentes.* Vide Notas nostras ad Capitulare Compendiense Karoli Calvi.

Caput istud sumptum est ex libro secundo Capitular. cap. v. c. 41.

NOVALIA RURA] Hæc constitutio duas partes habet. Primò statuit ut decimæ ex novalibus persolvantur Ecclesiis intra quarum limites novalia rura constituta sunt. Deinde jubet ut si quæpiam persona magnæ nobilitatis aut dignitatis aliquod novale in saltu conlaboraverit, ibidemque Ecclesiam construxerit, decimæ illius novalis conlaborati pertineant ad Ecclesiam noviter ædificatam. Sed vult Princeps ut novalia quorum decimæ subtrahuntur antiquæ Ecclesiæ, ultra milliaria quatuor vel quinque distent ab Ecclesia illa antiqua. Itaque ea quæ in vicino erant, decimas debebant antiquis Ecclesiis. Postea Romani Pontifices, ut paupertatem & inopiam monachorum sublevarent, eos liberarunt à præstatione decimarum ex agris novalibus quos ipsi propriis manibus laborarent. Richardus Archiepiscopus Cantuariensis ad Cistercienses scribens apud Petrum Blefensem epistola LXXXII. *Si Dominus Papa indulgentia speciali quandoque privilegiavit vos, dum ordo vester in paupertate gaudebat, dum in usus egentium sua tenuitatis viscera libenter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod causa necessitatis fuerat introductum. Nunc autem, quando vestra possessiones multiplicatae sunt etiam in immensum, privilegia hæc potius ambitionis quàm religionis instrumenta censentur.* Joannes Saresberiensis lib. VII. de nugis curialium cap. XXI. *Primò quidem, dum religio paupertate gaudebat, & in aliorum necessitates aut usus effundebat viscera inopiae, indulta sunt privilegia possessionibus; quæ, necessitate cessante, & frigescente caritate, potius avaritia quàm religionis instrumenta creduntur.* Cum ergo agri illi magnam haberent invidiam, quia in immensum

LIB. I.

ubique excreverant, cœptum est deinde quæri quid per novalis vocabulum intelligi debeat. Super ea re consultus Innocentius III. ab Episcopo Cæsaraugustano respondit per novale intelligi debere agrum de novo redactum ad cultum, de quo non extat memoria quòd aliquando cultus fuisset. Extat hæc definitio in cap. *Quid per novale. De verbor. signific.* ex libro x. epist. cx. ejusdem Innocentij. Sed rursus hinc orta est gravis controversia ævo Gregorij noni. Nam quæ Innocentij pontificatu novalia fuerant, novalium appellationem videbantur amisisse sub Gregorio. Ex his itaque præstandas esse à monachis decimas nonnulli cõtendebant intra Gallias. Consuluerunt super ea re Arelatenses Canonici oraculum apostolicæ sedis. Respondit Gregorius terram de qua non extat memoria quòd aliquando culta fuisset, redactam per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuò debere, quoad immunitatem de non solvendis decimis, novalium jure censi. *Cap. Consultationi. De privileg. & excess. privilegiatorum.* Itaque novale jam non erat, quia tractu temporis transierat in naturam agrorum. Sed novale erat semper ratione decimarum, id est, quoad decimarum præstationem, gaudebat privilegio novalium.

c. 46. DE NUTRIMINE] animalium videlicet. Nam de his quoque decima debetur Ecclesiis. Lib. I v. Capitular. cap. XL. *Consideratum est de frugibus terra & animalium nutrimine super cetera non & decima persolvantur.* Lib. v. cap. CXLVI. *Constitutum est ut de frugibus terra & animalium nutrimine & cunctis censibus, exceptis hortilensibus, persolvantur.* Verùm sequenti tempore Pontifices Romani monachos liberarunt à præstatione decimarum ex nutrimentis. *Cap. Ex parte. De decimis.* Mirum est autem nullam olim super eare adversum monachos motam fuisse litem, cum apud Petrum Blesensem & Joannem Saresberiensem gravissimas veterum temporum propter hoc querelas legamus. Nam apud Petrum Blesensem epist. LXXXII. Richardus Archiepiscopus Cantuariensis ita perstringit monachos Cistercienses: *Vt quid in alienam injuriam terras & nutrimenta vestra privilegiari facitis ut auferatis quod alienum est? Numquid Abel de nutrimentis suis Dominum non respexit? Numquid justiores*

estis primo omnium iusto, ut vos contra Dei iustitiam LIB. I.
 erigatis? Joannes Saresberienſis lib. VII. de nugis cu-
 rialium cap. XXI. Sumus, inquiunt, tuti apostolico
 privilegio, cujus beneficio de nutrimentis animalium &
 laboribus nostris decimas retinemus. Nempe Apostolis om-
 nialicent, sed omnia ab Apostolicis fieri nequaquam ex-
 pediat. Esto quòd illi vobis hoc licenter conceſſerint. Vos an
 rectè petieritis, videatis. Numquid de nutrimentis Abel
 Dominum non respexit? Et fortasse de animalibus red-
 duntur rectiùs, quia sine cultura nostra proveniunt. Plus
 enim laboris est in frugibus serendis & metendis.

SARTA TECTA] idest, tecta. Anastasius in c. 51.
 vita Gregorij I V. Fecit verò sarta tecta ejus omnia no-
 va. & alibi pluries.

ECCLESIA BAPTISMALES] Infrà cap. c. 52.
 271. nisi in vicis & Ecclesiis baptismalibus. Tituli bap-
 tismales in Præcepto Ludovici & Lotharij pro Eccle-
 ſia Remenſi apud Flodoardum lib. I I. cap. X I X. Ex-
 terius etiam in eadem parochia in castro Vonzenſi Titu-
 lum baptismalem & Titulum in eadem parochia sancti
 Ioannis similiter baptismalem.

AB HUI. CONVIVIIS] Vide quæ de hoc c. 56.
 argumento dicta à nobis sunt ad homiliam sextam Cæ-
 ſarj Episcopi Arelatenſis, inter eas quæ à nobis editæ
 sunt.

NIHIL SUPER EO] Jubet hæc constitutio ut c. 60.
 super altari, in quo corpus dominicum consecratur,
 nihil aliud ponatur nisi capsæ cum sanctorum reliquiis
 & libro evangeliorum. Videtur ergo prohibere ne
 imagines super altari ponantur in quò corpus domini-
 cum consecratur. Eadem fuit, ut ego quidem arbi-
 tror, sententia patrum Gallicanorum in Concilio Tu-
 ronensi congregatorum anno D L X V I I. qui ita statue-
 runt in canone tertio: *Vt corpus Domini in altari, non
 in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.*

SACRAM. LIBER] Infrà cap. L X V I I I. Cor-
 porale in Sacramentorum libro ponatur. Vide quanta
 libri istius reverentia fuerit apud veteres, quanta cura
 custoditus fuerit. Denique apud Flodoardum lib. I I I.
 cap. V. Hincmarus Archiepiscopus Remenſis, qui tot
 rebus præclare gestis inclaruit, laudatur quia *librum
 Sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit,*

Lib. I. ebore argentoque decoravit. Vide Notas nostras ad Agobardum pag. 90.

c. 61. STATIM ECIANT] Dura ac severissima disciplina, si temporum nostrorum ratio habeatur. Christianus ad aliam Ecclesiam quàm ad suam proficiscitur in die festo, ut illic Missam audiat, & expelli jubetur ab Ecclesia non sua, ut ad suam redire cogatur. Hæc erat seculi illius disciplina. Nunc ista mutata sunt. Neque tamen id adeo vetus est quin & anno quoque MCCII. vetitum esset Christianis deserere Ecclesias suas ut oblationes suas deferrent ad alias Ecclesias. Extat enim in Chartulario sancti Bertini in Sithiu vetus charta eo anno confecta, in qua ista leguntur: *Et si quis parrochianorum de Peterse vel de Calays ibi saepe ad Missam venerit, ammonitus à Presbytero suo si hoc non emendaverit, publicè excommunicabitur.*

DISCORDANTES] Quàm omnia tum ex caritate! Si qui Christiani dissidebant, statim reconciliabantur, si id fieri poterat ex consensu partium. Qui verò fratribus suis reconciliari recusabant, illis Ecclesie introitu interdicebatur donec ad pacem redirent. Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. cxx. *Discordes pellantur ab Ecclesia donec ad pacem redeant. Et is recipiebatur qui ad satisfactionem caritatis occurrerat.* Libro VII. Capitular. cap. cLXXI. *Sancitum est ut personarum discordantium nemo, antequam reconcilientur, ad altare Domini accedere audeat vel gratiam communionis sancta percipere; sed geminato tempore per pœnitentiam compensabitur in quo discordia servierant. Quod si unus eorum, alio contempente, ad satisfactionem caritatis occurrerit, ex eo tempore ut pacificus in Ecclesiam recipiatur ex quo ad concordiam festinasse convincitur.* Vide Concordiam regularum cap. XII. §. XVII. & Reginonem lib. II. cap. cccLXXV. & sequentibus.

c. 66. IN AQUA POPULUM] ex epistola LXIII. sancti Cypriani. Ex Cypriano autem citant etiam Etherius & Beatus lib. I. adversus Elipandum apud Stevartium pag. 92. & Rhabanus lib. I. de institutione Clericorum cap. xxxi.

c. 67. UT CALIX] Admonitio synodalis antiqua: *Nullus in ligneo vel in vitreo calice audeat Missam cantare.*

Laudatus est olim ab Hieronymo Exuperius Episcopus Tolosanus quòd sanguinem Domini portaret in vitro. Vitreus enim calix, ut existimat Baronius, in usu fuit à temporibus Apostolorum. Deinde vetitus est, inquit idem Cardinalis, ob periculum quod immineret materiæ fragili. cuius rei exemplum extat apud Gregorium Turonensem in lib. I. cap. XLVI. de gloria martyrum. Putat autem Baronius canonem istum Remensem, in quo vetitus est usus vitrei calicis, conditum fuisse in synodo quæ Durocortori Remorum habita est ex præcepto Karoli magni.

PARVULUS INFIRMUS] Antiquitus eucharistia dabatur etiam pueris, saltem morituris, ne sine communione seu viatico morerentur. Eam ob causam præcipitur his quibus officium baptizandi incumbit, ut si alicubi longiùs exierint, eucharistiam semper secum habeant. Vvalterius Aurelianensis cap. VII. *Vt semper eucharistiam Presbyter habeat paratam; ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, statim eum communicet, ne sine viatico moriatur.* Immo ex vetustissimo libro pontificali qui extat MS. in bibliotheca monasterij sancti Remigij Remensis, scriptus autem est Hincmari Archiepiscopi Remensis avo, ut existimat qui illum vidit vir eruditissimus & istarum rerum peritissimus Antonius Faure Doctor Theologus Parisiensis, in libro inquam illo pontificali, dum ritus baptizandi præscribuntur, infans eodem tempore confirmari ac communicari jubetur quo baptismi gratiam consecutus est. Hæc sunt verba veteris libri: *Deinde baptizet infantem sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem invocans semel, ita dicendo Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergit, & Filij, & mergit, & Spiritus sancti, & mergit tertio. Statim autem confirmetur infans & communicetur ab Episcopo ita dicente: Corpus & sanguis Domini.*] In antiquissimo item libro pontificali MS. Ecclesiæ Senonensis scripto circa annum DCCCCLXXX. quem nobis suppeditavit vir clarissimus Antonius Vion Herovallius, ista leguntur in ordine baptismi infantium: *Deinde baptizat sacerdos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocans, ita dicendo: Et ego te baptizo in nomine Patris, & mergat semel, &*

Filij, & mergat iterum, & Spiritus sancti, & mergat tertio. Vt autem surrexerit à fonte, faciat Presbyter signum crucis de chrismate cum pollice ejus, dicens orationem hanc: Deus omnipotens, Pater Domini nostri &c. Et vestitur infans vestimentis suis, dicente à Presbytero: Accipe vestem candidam &c. Si verò Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate, & postea communicari. Et si Episcopus deest, communicetur à Presbytero dicente ita: Corpus Domini Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam.] Et in epistola Jesse Episcopi Ambianensis de ordine baptismi præcipitur ut post trinam immersionem Episcopus puerum chrismate confirmet in fronte, novissimè autem corpore & sanguine Christi confirmetur seu communicetur, ut Christi membrum esse possit. Denique vir doctissimus Hugo Menardus adnotat ad librum Sacramentorum pag. 144. Episcopos antiquitus, postquam baptizaverant, statim contulisse sacramentum confirmationis. quod etiam observatum est ab illustrissimo viro Petro de Marca Archiepiscopo Parisiensi in Notis ad Concilium Claromontanum pag. 312 in editione nostra. Idem pag. 298. adnotat communionem Corporis Christi pueris dari suetam usque ad Paschalis secundi tempora, eucharistiámque illis datam fuisse intinctam propter imbecillitatem ætatis. Antiquum in Ecclesia esse morem tradendi pueris puellisque corpus & sanguinem Domini ostendit ex Augustino & Cypriano Cellotius in Notis ad Capitula Vvalterij Aurelianensis. Quare mirum est illum post tot testimonia scribere ausum Ecclesiam universalem nunquam recepisse hunc morem absque nota novitatis. Tameneti enim usus ille jam exoletus sit, hinc colligi non potest illum nunquam fuisse receptum. Per multa quippe sunt quæ uno seculo viguere, altero dimissa sunt. Veluti traditio calicis laico ad communionem accedenti. Veluti eucharistia intincta in sanguine Domini tradita infirmis. de qua Regino in capite sequenti, & alij multi.

c. 70. VIATICUM] communio, ut paulò antè dicebamus. Libellus supplex monachorum Fuldensium Karolo magno porrectus cap. v. *ne sine confessione & necessario vita viatico moriantur.*

c. 71. REGES ET SACERDOTES] Præceptum Lu-

Scimus quia ex auctoritate veteris testamenti, etiam nostris temporibus ex ecclesiastica institutione soli Reges & sacerdotes sacri chris-matis unctione consecrantur. Decet autem ut qui soli pra ceteris omnibus sacrosancta chris-matis linitione consociati ad regendum Dei populum proficiuntur, sibi ipsis & subditis suis tam temporalia quam spiritualia subministrando provideant, & providendo invicem subministrent.

EULOGIIS] oblationibus, muneribus. c. 74.

PER SUBDIACONUM] Praecipit hæc constitutio ut non per quemcunque ecclesiasticum, sed omnino per eorum aliquem qui sunt in sacerdotio constituti, chrisma petatur ab Episcopo, mox ad Ecclesiam deferendum ad quam pertinet minister qui ad petendum illud venerit. Si verò ea temporum necessitas fuerit ut neque Presbyter neque Diaconus ad civitatem proficisci propter hanc causam possint, tum licere eam curam committere Subdiaconis. Appropinquabant enim illi sacerdotio; & cum sacris altaribus ministrarent, sacra mysteria contrectabant, ut loquitur Concilium Carthaginense sextum apud Reginonem cap. xxi. libri primi. De iisdem haud dubie intelligendus canon xxxvi. Concilij quarti Carthaginensis, ubi sic habetur: Presbyteri qui per dioceses Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per juniorem Clericum, sed aut per se ipsas, aut per illum qui sacrarium tenet, ante Pascha solemniter chrisma petant. Rursum in libro septimo Capitular. cap. cccx. statuitur chrisma ab Episcopo non aliis tradendum nisi solummodo Presbyteris vel Diaconis aut Subdiaconis bene fidelibus. Indignum est enim ut alij illud suscipiant nisi illi qui hoc in tradendo usuri sunt. Sequentia seculum multum deflexerunt ab hac regula. Quippe non solum inferiorum ordinum Clericos mitti mos fuit ad petendum chrisma ab Episcopo, sed etiam laicos. Cui malo mederi cupiens Raymundus Episcopus Helenensis ista statuit anno mccc lxxx. in sua synodo diocessana: Quanquam fuisset aliàs providè statutum quòd per Rectorem aliquem vel Curatum non mitteretur ante Pascha solemniter ad sanctum chrisma nisi in sacris ordinibus constitutus, prout exposcunt canonica sanctiones,

LIB. I.

quia hoc à pluribus non servatur, imò meros transmittunt laicos pro eodem, idcirco presenti constitutione ducimus ordinandum ut quicumque Curatorum contrarium faciens, viginti solidorum poenam incurrat moneta currentis, quos fabrica Elnensis Ecclesia volumus applicari.

c. 78.

IN CONFIRMATIONE] Hinc colligitur non semper nec ubique valuisse morem confirmandi pueros statim atque baptizati erant. Quod haud dubiè ita intelligendum est, si baptizati sint extra presentiam Episcopi. Vide Marcam in Notis ad Concilium Claromontanum pag. 312. editionis nostræ.

c. 81.

JUSTISSIMA NECESSITATE] verbi gratia, propter redemptionem captivorum. quod à Cæsario Arelateni Episcopo factum esse docet Cyprianus in libro primo de vita ejus.

VADIMONIUM] vadium, pignus. Vide Additionem ad caput xiv. libri quarti de concordia sacerdotij & imperij.

STEPHANUS PAPA] in epistola prima apud Isidorum Mercatorem. Hinc ergo patet Concilium Remense ex quo duo ista capita sumpta sunt, post Karoli magni tempora celebratum fuisse; si tamen celebratum ullum fuit in quo hæc statuta sint, ac non potius sumpta sunt ex Capitulis Hincmari Archiepiscopi Remensis quæ etiamnum extant. Fieri quippe potest ut ista Regino crediderit ab Hincmaro constituta esse in Concilio Remensi, quia fortassis in codice suo legebat ea sancita fuisse in synodo Remensi, diocesana nimirum, non provinciali. Attamen nihil vetat quin hæc eadem decerni potuerint etiam in synodo quapiam provinciali ab Hincmaro celebrata, ut major esset rerum constitutarum auctoritas. Nam caput cxxiii. libri primi Reginonis, quod sumptum videri potest ex Capitulis Hincmari, in epitomen contractum ex vetusto Remensi Concilio laudatur à Vossio in libro secundo de vitis sermonis. Et infrà cap. cxx. istius libri extat alius canon ex Concilio Remensi, quem in Concilio quodam editum fuisse manifestum est ex contextu orationis. Fortean autem ad illud ipsum Concilium Remense referendum est caput sexagesimum istius primi libri, itémque cclxxii.

SECUNDUM HILARIUM] Apud Hincmarum:

sicut Stephanus sanctus Papa & martyr ad sanctum Hil- LIB. I.
 larium in suis decretalibus docuit. Burchardus & Ivo
 parte II. cap. 139. sicut Stephanus sanctus Papa &
 martyr sanctum Hilarium &c. Ex his ergo corrige Re-
 ginonem.

AUT HOMICIDIO] Hæc clausula non extat c. 86.
 in antiquis editionibus canonum apostolicorum. Ex-
 tat tamen apud Gregorium Turonensem lib. v. cap.
 XIX. ex novo quaternione qui recenter adnexus erat
 libro canonum. Hinc factum ut duæ dein canonum
 apostolicorum editiones viguerint, in quarum una ex-
 tabat clausula de homicidio, deerat autem in alia.
 Halitgarius enim referens canonem illum apostolicum
 lib. v. cap. IV. habet clausulam de homicidio. unde
 fortassis accepit Regino. Illam quoque videtur ha-
 buisse Gregorius IV. in suo codice, uti diximus ad
 Agobardum. Contrà Isidorus illam non habet, neque
 Rhabanus in epistola ad Heribaldum, neque demum
 Hincmarus, qui canonem illum describit in epistola
 XLIX. cap. III.

Caput istud sumptum est ex libro III. dialogorum c. 97.
 sancti Gregorij cap. VII.

Apud sanctum Gregorium lib. VII. Indict. II. epist. c. 98.
 XXXIX. Vide Posidonium in vita sancti Augustini
 cap. XXVI. & Hincmarum epist. XLVIII. cap. X.

CUI SIT NECESSITAS] Vir clarissimus Joa- c. 104.
 chimus Hildebrandus hanc interpretationem adjecit
 huic loco: *Si cui cognata necessitas sit Presbytero victum
 procurandi.* Videtur autem intellexisse de muliere cu-
 jus ope & ministerio indigeat Presbyter ad ea procu-
 randa quæ victui necessaria sunt. Verus tamen ac ge-
 nuimus hujus loci sensus, quantum ego conjicio, hic
 esse debet; ut si mater, amita, aut soror Presbyteri
 adeo pauperes sint ut absque auxilio & ope ejus non
 habeant unde vivant, maneat quidem in eodem loco
 in quo Presbyter habitat, sed procul ab ædibus ejus,
 Presbyter verò domum ad eas mittat quæ sustentationi
 illarum necessaria sunt. Capitula Herardi Archiepis-
 copi Turonensis cap. XIX. *Vt conversationem femina-
 rum earumque accessum & administrationem detesten-
 tur. Sin aliàs, velut contemptores canonum ab ordine de-
 ponantur. & quibus ministrare necessaria decernunt,*

LIB. I.

longè eis domos prævideant in quibus non per se sed per ministros subsidia porrigant. Verùm Presbyteri fraudem huic constitutioni faciebant atate Hincmari, ut ipse docet in epistola XLVIIII. cap. XXXIII. his verbis: *Quidam Presbyteri de redditibus Ecclesia vel oblationibus ac votis fidelium res post ordinationem suam comparant, & in illis structuras faciunt, & qua ad Ecclesiam pertinent ibidem collocant; & in eisdem mansis mulieres recipiunt, qua lanificium suum exercent, & domus curam gerant. Et hac occasione suas Ecclesias negligunt, & ad eosdem mansos recurrunt, & ibi commenant contra decreta canonum.* Vide infra apud Regionem cap. CCCXX.

[NULLA FEMINA AD ALT.] Infra cap. CCCX. *& quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent.* Ista insinuanda essent feminis ætatis nostræ, quæ non solum intra cancellos stant, sed ad ipsum altare accedunt, tanquam divina cum Presbyteris celebrare debeant. Cui malo nemo est qui resistat, tamenetsi nihil majore cura provisum sit à patribus quàm ut ista non licerent feminis. Neque dubito quin si religiosissimus sexus ista doceretur pravè agi & contra mentem Ecclesiæ, non dubito inquam quin lubentissimè abstineret à corruptela illa pravæ consuetudinis. Olim, ut adnotavimus ad Concilia Galliæ Narbonensis, eò usque processerat scelerata audacia ut mulieres altaribus adstarent & plerunque ipso oblationis tempore coram omnibus impudenter acciperent quod Deo offerebatur in altari. Si ab hoc facinore dein abstinuerunt feminae admonitæ, sperandum est nostras facilè mutaturas si intelligant quiddam irreverentius agi erga Deum & Ecclesiam quum illæ perrumpunt ultra cancellos altaris. Hæc admonere visum est, ut saltem in hoc capite corrigatur vita Christianorum.

c. 105.

[ELEEMOSYNIS REDIMAT] Istud deinde vocaverunt redemptionem peccatorum. Paschalis II. in epistola ad Norigaudum Augustodunensem Episcopum: *Pro redemptione verò peccatorum morientes in Ecclesia in qua fidei sacramenta acceperunt eleemosynam dare secundum apostolica decreta statuimus omnino & confirmamus.* Ex eo porrò fonte ut plurimum prodie-

runt possessiones, latifundia, & agri, ex quibus ditata & amplificata est Ecclesia, uti diximus ad Agobardum. LIB. I.

REM. DIFFERRETUR] Legendum haud dubiè est *remedium non differretur*, ut monuimus in margine. Sic enim habent vulgatæ editiones epistolarum sancti Leonis, & plerique codices manu scripti. Attamen in collectione Isidori, unde Regino videtur accepisse, legitur ut heic editum est. Et in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, tum in alio perverusto codice MS. monasterij sancti Germani de pratis, in quibus Dionysij collectio continetur, inter decreta sancti Leonis, unde sumptum est hoc caput, ita omnino scriptum est: *usque ad communionis remedium differatur*. Eam verò lectionem habet etiam Halirgarius lib. III. cap. XIV. tam in editione Canisij quam in veteri codice MS. monasterij Corbeiensis, tum etiam in editione quæ sub Rhabani nomine emissâ à Colvenerio est in tomo sexto operum Rhabani. c. 115.

POST QUAM] Vel ex hoc loco confici potest veriticum olim dari solitum post extremam unctionem. c. 119.

NISI QUEM EPISCOPUS] Lege generali vetitum olim erat ne quis intra Ecclesiam sepeliretur, ut pluribus docet Grefferus in libro secundo de funere Christiano cap. VI II. quod privilegium etiamnum retinet Ecclesia quæ sancto Saturnino dicata est in civitate Tolosana. Nam Augustinus Cantuariensis sepultus non est in Ecclesia, sed in porticu aquilonari Ecclesiæ, ut Beda docet lib. II. cap. III. historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum. Postea tamen licuit sepelire intra Ecclesiam Episcopos, Abbates, dignos Presbyteros, & fideles laicos, ut ait Concilium Moguntinum sub Karolo magno habitum, id est, justos homines, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisiverunt, ut Theodulfi verbis utamur. Ista per diu viguisse animadverto. Et tamen vetus sepulcrum lapideum Ademari Vicecomitis Sclarum & Abbatis laici monasterij Tutelensis, qui regnante Rodolpho Rege floruit, videtur hodie in Ecclesia Tutelensi. Verùm multæ rationes erant quæ istum in Ecclesia sepeliri sinerent. Primum, quia restaurator monasterij fuerat, illudque omnium bono-

rum suorum heredem ex asse esse iussit, tum etiam quia haud dubiè celebris erat opinione sanctitatis. Nam haecenus sanctus vocatur à Tutelensibus. Quanquam necesse non est eum in Ecclesia sepultum fuisse eo tempore quo mortuus est, tamen etsi sepulcrum ejus nunc sit intra Ecclesiam. Evenisse illi potuit aliquid simile narrationi quæ extat apud Bedam de corpore sancti Augustini, quod foras juxta Ecclesiam positum est, quia ea necdum fuerat perfecta nec dedicata; mox verò ut dedicata est, intrò illatum & in porticu illius aquilonari decenter sepultum est; in qua etiam sequentium Archiepiscoporum omnium sunt corpora tumulata præter duorum tantummodo, id est, Theodori & Berthvaldi; quorum corpora in ipsa Ecclesia posita sunt, eò quòd prædicta porticus plura capere nequivit. Nam quia fortassis Ademarum conditus erat in loculo juxta humilem quæ tunc erat Ecclesiam monasterij, cum ea ducentis post annis rursus ædificata & amplificata est, jamque intrare in Ecclesiam cœpissent corpora mortuorum, proclive fuit monachis Tutelensibus, ob sanctam viri memoriam & ingentium ejus beneficiorum, tumulum ejus Ecclesia concludere. Nam ille est in extrema Ecclesia, in angulo, loco videlicet remotissimo ab altari quod vocant majus. In lapide sepulcrali hæc antiquitus scripta fuerunt, quæ nunc quoque leguntur.

✠ XPE SERVA TUUM PER SECLA
ADEMARUM. AMEN. ✠

c. 125. EXEDRA] Ita vetus codex Parisiensis M S. pro eo quòd editio Helmæstadiensis habet *extra Ecclesiam*. Huic emendationi, quæ alioqui necessaria est, adsupulantur Burchardus, Ivo, vetus canonum collector MS. in bibliotheca regia, & Gratianus, ubi scriptum est *in exedris*. Statuit enim canon ut nemo in Ecclesia sepeliatur, sed in atrio aut in porticu aut in exedra Ecclesiæ. Itaque qui generaliter prohibuit ne mortui sepeliantur intra Ecclesiam, frustra juberet ea sepeliri extra Ecclesiam, si vera esset vulgata lectio synodi Nannetensis. Igitur in tribus locis extra Ecclesiam sepeliri poterant corpora mortuorum, in atrio videlicet, in porticu, & in exedra,

Atrium est propriè spatium vacuum quod remansit ex area sive solo ubi ædificata est Ecclesia, atque ita atrium omnem circum ambit Ecclesiam. Atrium tamen cum dicunt auctores ecclesiastici, intelligunt ut plurimum eam partem atrij quæ proxima januis est, in qua vestibulum. Infrà lib. I I. cap. xxxi. *Si in atrio Ecclesia, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est &c.* Anastasius in vita Sergij secundi: *Conjungente verò eodem Rege, universosque gradus ejusdem sacratissima beati Petri Ecclesia ascendente, ad prænominatum appropinquavit Pontificeem, qui in atrio super gradus juxta fores Ecclesia cum universo clero & populo Romano assistebat.* Ditmarus Mersepurgenfis in libro primo Chronicorum: *Cum ad atrium defunctorum veniret, videns in eo magnam multitudinem oblationes offerentem sacerdoti coram templi foribus stanti, primò substitit.* Anastasius in vita Doni primi: *Hic atrium beati Petri Apostoli superius, quod est ante Ecclesiam in quadriporticum, magnis marmoribus stravit.* Quo loco sic aliqui legunt: *Hic atrium beati Petri Apostoli superius, quod paradisus dicitur, estque ante Ecclesiam &c.* Atrium enim aliquando vocatum est paradisus, ut pluribus ostendit Heribertus Rosvveydus in Notis ad Paulinum; ubi etiam post Breulium adnotat atrium Ecclesiæ Parisiensis, quod nunc vulgò *Parvis* dicitur, paradisum vocari in antiquis chartis ejusdem Ecclesiæ. Cur autem atrium vocatum sit paradisus aperit vetus charta sancti Victoris Massiliensis edita in annalibus Massiliensibus pag. 296. Ex paradiso igitur factus est parvisius. Qua voce utitur Matthæus Parisius, cujus hæc sunt verba ad annum M C C L. pag. 798. ultimæ editionis Londinensis: *Vnde pro illa substantia persolvenda cogebatur ille pauperculus, multis diebus scholas exercens, venditis in parvisio libellis vitam famelicam & codrinam protelare.* Atque hic mos etiamnum durat ut libri vulgò vendantur in parvisiis, præsertim in parvisio Ecclesiæ Parisiensis. Fallitur ergo Vossius, qui parvisium heic interpretatur scholam parvulorum.

Porticus est locus deambulationi aptus, ut sunt claustra Ecclesiarum & monasteriorum. Incertæ autem antiquitus fuere sedes porticuum. Nam cum hodie ubique sint in latere Ecclesiæ, olim alicubi erant inter

LIB. I. Ecclesiam & vestibulum, tum ad utrumque latus templi, ut de templo Tyrio testatur Eusebius lib. x. historiae ecclesiasticae cap. 1 v. Hinc porticus aquilonaris apud Bedam lib. 11. cap. 111. historiae ecclesiasticae gentis Anglorum, & septentrionalis ac meridiana apud Rhabanum in descriptione Ecclesiae Fuldenfis. Romae porticum basilicae sancti Petri fuisse ante januam Ecclesiae colligi potest ex loco supra relato ex vita Doni Papae, ubi atrium dicitur fuisse ante Ecclesiam in quadriporticum. Quod etiam colligi potest ex Isidoro lib. xv. Originum cap. 111. qui adnotat atrium hinc dictum *quod addantur ei tres porticus exterius*.

Exedra, si vocabuli originem attendimus, erat locus circum Ecclesiam in quo sedere ac requiescere licebat. In templo Tyrio exedrae erant constitutae extra illam partem Ecclesiae in qua nos majus altare collocamus, in circuitu chori, sic ut conjungerentur deinde cum portis quibus in medium templum intrabatur. Existimo autem exedras constituisse partem murorum Ecclesiae, id est, factas in muro sedes in circuitu Ecclesiae, ut etiamnum videmus in aliquibus Ecclesiis. In muro dein illo prominenti cum nonnulli cupissent sepeliri, cameras quasdam ac fornices construebant in exedra, in quibus eorum corpora condebantur. atque istiusmodi camerae plures etiamnum videntur in circuitu Ecclesiae Tutelensis. Rectè ergo adnotatum est à Bartholomæo Brixienfi 13. q. 2. cap. *Præcipiendum* exedras dici quasdam voltas quæ exterius adhærent parietibus Ecclesiae. Exedrarum usus desuit cum, gliscente abusu, palam ac publicè omnes in Ecclesia sedere cœpissent, etiam laici ac feminæ. Hinc tot diversæ interpretationes hujus vocabuli, cum nihil certi statui posset de re quæ jam verustate exoleverat.

Itaque ut ad id redeamus unde digressi sumus, tria extra Ecclesiam loca erant in quibus sepeliri poterant corpora mortuorum, atrium videlicet, porticus, & exedra. Honorificentior autem sepulturae locus per illas tempestates erat in atrio, ante portam Ecclesiae, id est, in nobilissima atrij parte. Adnotat enim Gretserus in libro secundo de funere Christiano cap. v 11. Constantinum magnum sepeliri voluisse in vestibulo Ecclesiae

Ecclesiæ C P. eodémque in loco deinceps sepultos esse plurimos Imperatores ac Pontifices. De Ottone secundo Imperatore testatur Leo Marficanus in libro secundo Chronici Cassinensis cap. 1 x. cum sepultum esse in atrio Ecclesiæ beati Petri Apostoli. Et libro 1 v. cap. 111. agens de Elgaita Roberti Ducis uxore, ait eam in Ecclesiæ paradiso ante basilicam Petri Apostoli tumulari voluisse. Sic antiquitus sepulcra Comitum Tosolanorum erant in atrio Ecclesiæ sancti Saturnini, prope portam, ubi hæctenus videntur, donec Urbani secundi auctoritate cœmeterium eorum constitutum est in atrio basilicæ deauratæ. Et ut domesticis utamur exemplis, vestibulum Ecclesiæ Tutelensis erat olim locus destinatus sepeliendis Vicecomitum Turennesium corporibus, quorum erant ampla ac magnifica in Ecclesiam illam merita ac beneficia. eorúmque sepulcra etiamnum manent post tot secula. Alicubi tamen porticus erat honorificentissimus sepulturæ locus. Legimus enim apud Bedam in libro secundo hist. eccles. cap. 111. Augustinum & ceteros Cantuarienses Archiepiscopos in porticu Cantuariensis Ecclesiæ sepultos fuisse donec necessarium fuit eos sepeliri intra Ecclesiam, quia porticus illa plures capere non poterat.

Præter atrium illud quod erat ante principalem portam Ecclesiæ, in quo viri principes sepeliebantur, aliud atrium erat in quo sepeliebantur omnis conditionis homines. Erat autem atrium illud propriè cœmeterium. Vetus charta Archambaldi Vicecomitis Combornensis pro monasterio Tutelensi: *Hoc autem ipse Gaucelinus de Petrabuseria postea devotè adimplevit ad officium cimiterij sancti Martini, quod est ante portam Ecclesiæ sancti Martyris Iuliani.*

PER SUAM INCURIAM] Statuta synodalia c. 129. Simonis Episcopi Sodorensis cap. 1 v. *Capellani caveant ne per negligentiam aliquis infans sine baptismo, quod absit, moriatur.*

TABULA CONSECRATA] Hincmari Capit. c. 132. la tit. III. cap. III. *Tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra aut litio honestissimo secundum suam possibilitatem honestè affectatam habeat, & nobis ad consecrandum asserat, quam secum, cum expedierit, deferat, in qua sacra mysteria*

R 12, 1.

secundum ritum ecclesiasticum agere valeat. Litium porro, ut hoc quoque obiter dicamus, ea lapidis nigri species esse videtur quo vulgò utimur ad cooperiendas domos, quem à vocabulo Gallico *ardoise* Nicotius vocavit ardosiam, Monetis lithostilben. Tabulam illam consecratam, qua uti debebant Presbyteri cum sacra mysteria celebrabant extra Ecclesiam, altare portatile vocaverunt sequentia secula. Extat autem in Pontificali Romano ordo de consecratione tabulæ sive altaris portatilis.

- c. 142. **IN HOSTE]** in exercitu, ut statim dicit. Prohibet autem ne quis eorum qui militat, alios cogat ad bibendum, nimirum usque ad ebrietatem. Alioqui enim nulla lex vetat quin amici invicem bibant, modò res hæc stet intra terminos sobrietatis.
- c. 169. **DISCIPLINAM]** id est, privatam flagellorum castigationem. Existimabat vir doctissimus Joannes Morinus istud pœnæ seu medicinæ pœnitentialis genus inauditum in Ecclesia fuisse ante annum nongentesimum quinquagesimum, exemplumque datum fuisse à Dominico Loricato, cujus virtutem ac fortitudinem humana majorem celebrat Petrus Damiani. Sed ego in Regula sancti Aureliani Episcopi Arelatensis ita lego capite xli. *Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta & novem.* Et Concilium Moguntiacum sub Karolo magno habitum ita statuit in capite xlv. *Volumus ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt, sive in jejunio sive in alia castigatione emendentur.* Descriptum est autem caput istud in libro quinto Capitular. cap. xcvi.
- c. 176. **AD VENANDUM]** Vide Petrum Blefensem episc. lvi. & lxi. & Notas nostras ad Agobardum pag. 82.
- c. 191. **A MONASTERIIS]** Itaque hæc constitutio edita fuit adversus monachos; qui cum de singularitate censerentur, Missas solitarias celebrare præsumebant.
- c. 192. **SACERDOTALI CATALOGO]** id est, ex eis qui in clero cooptati sunt, eo nomine à plebe distincti.
- c. 194. **COTIDIE EUCARISTIAM]** Libellus supplex monachorum Fuldensium Karolo magno porrectus cap.

IV. *Quod communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur secundum exempla præcedentium patrum.* L 13. 1.

NON ANTE DISCEDAT] Vide homiliam c. 196. octavam Cæsarij Arclatenfis inter eas quæ nuper editæ à nobis sunt.

TORUNENSIS] Ne quis putet heic erratum esse à typographo , moneo sic scriptum esse in editione Helmæstadiensi & in codice MS. Parisiensi quo nos usi sumus in hac editione. c. 199.

CUM HIS VERBIS] Suprà cap. LXX. *Corpus & sanguis &c.* Ævo Roberti Francorum Regis, ut in vita ejus testatur Helgaldus, ita dicebant : *Corpus Domini nostri Iesu Christi sit tibi salus anima & corporis.* Ea formula non usurpatur his ultimis temporibus. Nobis enim, cum communicamus, hæc tantum Presbyter dicit : *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

CAPITULA HABEAT] id est, si temporum nostrorum verbis loqui volumus, Summam casuum conscientiæ. c. 203.

PENSUM SERVITUTIS SUÆ] Officium suum, ut hodie loquimur. Extat apud Stevartium elegans præfatio veteris cujusdam scriptoris in psalmos ad Bathuricum Episcopum Ratisbonensem, qui sub Karolo magno vixit ; in qua perstringit acerrimè Episcopos quosdam sui temporis, qui cetera dediti voluptatibus suis per totum diem, officium suum recitabant partim cum ibant cubitum, partim cum se mane vestibus induebant. Labet heic referre ipsa hominis verba : *Alij verò qui, quod pudet dicere, etiam Episcopi, tota die convivis & poculis vacantes, & penè usque in noctis medium vel usque ad Gallorum cantum anteo amplius diversis student potionibus sua satisfacere voluntati, isti tales, magis studentes hominibus placere quam Deo, prius quam dormitum eant, nocturnas vigiliis desidjose persolventes, stratu mox decubant, donec iterum tempus manducandi & bibendi redeat. Surgentes verò, dum se vestibus induunt, diurna peragunt officia, putantes sibi sufficere posse si saltem quoquo modo illa decantent.* Ne verò Episcopi nostrates putent id sibi à me dictum esse, quasi illos traducere voluerim, c. 208.

L. I. B. I.

iisdem apud ipsos verbis utar quibus utitur idem auctor erga Bathuricum. *Non enim talia referendo, inquit, vos denotare volo, sed ne his participemini ammonere summa humilitatis subiectione praesumo.*

c. 213.

CUM URSO] Solebant enim in Kalendis Januariis transformare se homines in pecudes, aut in feras, aut in portenta, ut ex Maximi Episcopi Taurinensis homilia de Kalendis Januarij jam pridem collegerunt viri docti. Assumebant itaque cervorum ac vitulorum formas, tum etiam urforum, ut mutorum animalium insanam petulantiam liberiùs ac licentius imitari possent. Postea cum id vetitum fuisset tam ecclesiasticis quàm civilibus legibus, hanc insaniam Christiani à Kalendis Januariis transtulerunt in dies illos qui antecedunt initium quadragesimæ. Vide synodum Autissiodorensis Aunacharij, epistolam Zachariæ ad Bonifacium, quæ est c x l i i. inter Bonifacianas, & edictum Karlomanni in initio libri quinti Capitularium.

TALAMASCAS] id est, larvas, ut antea explicatum est. Hoc caput, in epitomen redactum, ex vetusto Remensi Concilio refert Vossius in libro secundo de vitiis sermonis: *Larvas demonum, quas vulgus talamascas vocat, sub anathemate prohibemus.* Hinc *masque* apud nos pro larva. Ex eodem fonte ortum est quòd occultæ literarum notæ, quibus aliquid aliis ceclatum volumus quàm ei ad quem scribimus, talamascæ dicuntur in fragmento Odonis Ariberti de cæde Bernardi Comitum Barcinonensis, cujus partem edidimus in Notis ad Agobardum: *Cetera qua pandere periculosum est literis talamascis inscribam.* In hoc porro loco, pro eo quod editio Helmæstadiensis habet *quas vulgò Dalamascas vocant*, nos, secuti auctoritatem codicis Parisiensis & Hincmari, tum etiam ne turbaremus fontes ex quibus sua Burchardus accepit, edidimus, *quas vulgò talamascas dicunt.* Qui verò codicem Helmæstadiensem antiquitus descripsit, videtur ante oculos habuisse Concilium Remense à Vossio laudatum.

c. 216.

PRESBYTERI PER KAL.] Constitutio Riculfi Episcopi Suesionensis cap. xx. *Rationi quoque proximum esse sanximus ut in unoquoque mense, statu-*

ea die, id est, in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias Presbyteri simul conveniant; & convenientes, non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio & religiosa conversatione atque de his qua in eorum parrochiis accidunt sermonem habeant. L 13, r.

SINGULOS BIBERES] Infrà libro II. cap. 432. Singuli singulos biberes accipiant. id est, singulos vini scyphos, ut Vossius interpretatur. Regula sancti Benedicti cap. xxxv. Septimanarij accipiant super statutam annonam singulos biberes. Regula sancti Aureliani in epilogo: Cibaria quotidie ad refectiorem tria, ad prandium duo, ad coenam duo. Biberes ad refectiorem, id est, in astate merum, & tres caldellos. Et infrà: Biberes binas ad prandium. Ekkhardus in libro de casibus monasterij sancti Galli cap. xi. Invitat tandem Abbas pariter ad nonales fratrum, quibus conscripti essent, biberes. Ex his ergo patet malè in editione Helmæstadiensi scriptum esse singulos liberè excipiat. Malè item apud Burchardum singulos bibere faciant.

ULTRA TERTIAM VICEM] Vide lib. v. de concordia sacerdotij & imperij cap. LI. §. II.

PROPRIÆ ECCLESIÆ] Admonitio synodalis antiqua: Res & facultates quas post diem ordinationis vestrae adquisitis, ad Ecclesiam ad quam titulati estis pertinere sciatis. Paschalis II. in epistola ad Norigaudum Episcopum Augustodunensem: Illud autem apostolica auctoritate statuimus, ut nulli Presbytero &c. ut infrà in appendice actorum veterum tit. XXI. c. 218.

INQUIRENDUM] Vide Notas ad caput centesimum quartum. c. 220.

USURIS] Concilium Sueffionense habitum anno MLXXVIII. sub Manasse Archiepiscopo Remensi: Ut nullus Clericus aut laicus Christianus usuras accipiat. Et si quis res alicujus in vadimonio suscepit, & jam inde capitale suum habet, res ipsas reddat, & non plus accipiat. c. 230.

REVVADIARE] Ita prorsùs codex M. S. Regimonis. Pro quo editio Helmæstadiensis habet: ut banni nostri rei per fidejussores &c. Emendationem nostram confirmant etiam libri Capitularium & liber legis Longobardorum. Revvadiant bannum, ut Sirmondus ait, qui ad banni multam judicio damnati, pro ea dant c. 241.

vadium. Charta Mathildis Reginae pro monasterio sancti Bertini in Sithiu: *Iudicaverunt etiam predicti arbitri quod si rusticus ostium suum contra ministerialem & scabinos Abbatis clausisset, liceret scabinis & ministeriali ostium impellendo aperire, & vadium, etiam scriniis fractis, si extra seram non invenissent, asportare.* Lindenbrogius & Spelmanus *revvadiare* explicant *relaxare*. Vide Vossium in libro quarto de vitiiis sermonis.

ARMISCARAM] Editio Helmæstadiensis, *aruf-caram*. quod Hildebrandus interpretatur *pœnam arbitrariam*. Infrà lib. II. cap. 423. *nostram harmiscaram durissimam sustinebunt*. Adnotat Sirmondus ad Capitula Karoli Calvi *harmiscaram* graviorem multam fuisse, quæ à Principe pro arbitrio extra ordinem imponi solet. Vide Vossium in libro secundo de vitiiis sermonis, qui rectè heic Vitum Amerbachium reprehendit.

SI PLURES] Breviarium est canonis xxxii. Concilij Triburiensis, ut plerunque solet Regino ita referre canones illius synodi. Agitur autem illic de jure patronatus. Jubet ergo canon ut si plures unius Ecclesie patroni fuerint, & convenire inter illos non potuerit de Presbytero qui illam regat & gubernet, Episcopus Ecclesiam claudat & sacrum in ea ministerium celebrari prohibeat donec patronis concordia redeat. quod antea constitutum fuerat in synodo Cabilonensi secunda. Apud Burchardum tamen lib. II. cap. xliii, & in prima collectione Decretalium cap. i. de *jure patron.* hic canon, qui reperitur editus in Concilio Cabilonensi, tribuitur Concilio Mediomatricis. Burchardus autem & Bernardus Circa ex diversis exemplaribus hunc canonem Metensem descripsisse videntur, cum diversæ sint eorum lectiones in nonnullis locis ejusdem capituli. Itaque fieri potest ut editus quoque fuerit in Metensi quapiam synodo. Immutatum porrò postea est hoc jus auctoritate Innocentij III. Romani Pontificis. Hic enim statuit ut si de jure patronatus controversia emerlerit inter laicos, & cui competit infra quatuor menses non fuerit definitum, ex tunc Ecclesiam ipsam diœcesanus Episcopus non differat de persona idonea ordinare. Extat hæc confi-

tutio apud Innocentium III. lib. I. epist. 521. & inde LIB. I.
in cap. *Cum propter. De jure patron.*

DIVIDI INTER PLURES.] Vetus est hæc regula, ut pluribus exemplis probari posset, eodem nimirum jure quo vetitum erat ne duo Episcopi essent in una Ecclesia. Verùm quoniam nonnulli interdum ab hac regula discedebant, admoneri illos subinde oportuit ne sanctissima instituta desererent. Recruduit tamen sæpe id malum, adeo ut etiam aliquando Ecclesia una duobus Presbyteris eodem tempore committeretur cum consensu & auctoritate Episcoporum. Extant enim literæ Rodhmuudi Augustodunensis Episcopi datæ circa annum DCCCXL. quibus Capellam sancti Germani de Centissa committit duobus Clericis, *ut eam diebus quibus advixerint teneant, regant, possideant.* Integrum diploma edetur infra in appendice actorum veterum. c. 243.

SI AUTEM.] Burchardus lib. III. cap. 239. refert hunc canonem *ex Concilio Remensi præsentè Ludovico Imperatore cap. 5.* cùm sit Concilij Meldensis. Ita visum Buchardo omnia mutare. c. 246.

CANES AUT GENITIARIAS.] Puto heic vocem *genitiaras* invidiosè positam esse, ut innuerent Episcopi decimas quas laici percipiebant in pravos usus fuisse conversas, nimirum ad canonum & scortorum sumptus. Juvat hanc conjecturam caput CXXXII. istius libri, ubi sic legitur: *inter canum discursus & scortorum greges.* Præterea inter varia capita de quibus laici olim interrogabantur ab Episcopo, istud quoque ponitur infra pag. 209. cap. 37. *Si aliquis in sua domo consentit cum propriis ancillis vel geneciariis suis adulterium perpetrare.* Denique auctor dialogi de statu Ecclesiæ, qui à Cordesio editus est cum epistolis Hincmari, seculares homines redarguens qui redditus ecclesiasticos possidebant, his illos verbis increpat: *Vos cum uxoribus & ancillis vestris, & quod pejus est, nonnulli cum scortis decimas & oblationes fidelium manducabitis.* Aliàs enim *genitiaras* vocabulum honestum est, quod idem valet ac ancilla. Infra lib. I. cap. CLXXVI. ex Concilio Nannetensi: *inter genitiaras suas residentes.* Ludovicus Rex Bajoariorum in tomo secundo Metropolis Salisburgensis pag. 12. *Mancipia*
N n iiiij

infra curtem inter pueros & feminas genecias numero viginti duo. Titulus LXXX. legis Alamannorum: De eo qui cum ancilla vestiaria & geneciaria concubuerit. Lex autem explicat quid sit ancilla geneciaria: Et si cum puella de genecio priore concubuerit aliquis contra voluntatem ejus, cum VI. sol. componat. Si quis cum aliqua de alio genecio contra voluntatem ejus concubuerit, cum III. sol. componat. Geneciaria ergo dicta ancilla quia in genecio sive gynæceo posita erant, id est, in ea parte domus ubi feminae, ut Nannetenſis Concilij verbis utamur, de lanificiis suis & operibus textilibus & muliebribus inter se tractabant. Geneciorum autem duo genera fuisse colligi potest ex loco jam laudato legis Alamannorum, superius & inferius, id est, ut interpretatur Spelmannus, honestius & servilius. Existimat enim vir doctissimus genecium fuisse locum poenae mulierum destinatum, sicut olim in more fuit viros dare in pistrinum poenae causa. Sanè in libro secundo legis Longobardor. tit. XXXVI. cap. VI. legimus eam antiquitus poenam sanctimonialibus corruptis irrogatam fuisse ut genecio traderentur, abrogatamque propterea eam legem ab Imperatore Lothario, ne postea locum mœchandi cum pluribus haberent, si in genecio constituerentur. Eæ verò, quoniam stamina etiam pensaque, quæ muliebrium operum vocabulo continentur, ducebant, pensiles ancillæ vocantur in libro secundo legis Longobardor. tit. IX. cap. II. ubi præcipitur ministris reipublicæ ut mulierem liberam, quæ servo sponte nupserit, in curtem id est palatium Regis ducant & inter pensiles ancillas constituent. Hæc erat igitur poena ejus quæ se servo conjunxerat. Superest ut investigemus quod discrimen esset inter duo genecia. Nam Spelmannus hanc partem reliquit intactam. In superiore igitur haud dubiè genecio constitutæ erant ancillæ originales, id est, quæ non peccaverant, sed ex servis natæ erant in domibus dominarum. Has itaque honestiùs tractabant. Quæ verò peccaverant, eæ fortassis in ergastulis constitutæ, ac in conspectum quidem dominarum admittebantur; sed id quòd vilius erat intra domum curabant, felices quòd adhuc aut vivere permittebantur, aut exilium non tolerabant.

PRESBYTER UNAM] Vide Notas ad epistolam LIB. I.
c. 254.
XXIX. Lupi Ferrariensis.

PŒNITENTEM INVITET] Vide homiliam c. 259.
primam Cæsarij inter eas quæ editæ à nobis sunt.

QUALISC. TRIBULATIO] Cùm prodigium c. 283.
quoddam eveniebat, jejuniis illud, precibus, & Mis-
salarum celebrationibus expiabant. Bonifacius martyr
epist. LXII. quæ tota est de hac materia: *Illas Missas
quæ pro tempestatibus fieri soleant celebrare vos, Presby-
teri, recordamini.* Extat in libro Sacramentorum Mis-
sa pro quacunque tribulatione. Nuper verò ego aliam
reperi in veteri codice MS. quam in appendice acto-
rum veterum edere visum est.

EDICTUM NOSTRUM] Hinc colligi posse vi-
detur jejunia & supplicationes quæ extra ordinem in-
jungebantur, non absque auctoritate Principis interdum
consuevisse decerni. Frustra enim Princeps tolleret
necessitatem expectandi edicti si ea nulla fuisset. Ka-
rolus magnus in brevi capitulorum quod à Sirmondo
editum est in tomo secundo Conciliorum Galliæ pag.
262. *Primò coumemorandum est quod anno præterito
tria triduanæ jejunia fecimus, Deum orando ut ille no-
bis dignaretur ostendere in quibus conversatio nostra co-
ram illo emendari debuisset, quod nunc facere desidera-
mus.* Ludovicus Pius in tertio Capitulari Aquisgra-
nensi cap. 111. *Recordari vos credimus qualiter hoc an-
no consilio sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum ge-
nerale jejunium per totum regnum nostrum celebrare jussi-
mus.* Et infra: *Volumus ut generale triduanum jeju-
nium secunda feria post octavas Pentecostes celebrandum
indictetur & generaliter ab omnibus cum summa devotio-
ne observetur.* Vide Concilium Parisiense VI. in epi-
stola ad Ludovicum & Lotharium Imperatores, & lib.
VI. Capitular. cap. 184.

PRÆSTAT] Commodat, mutuum dat. Gallicè c. 286.
qui preste. Ruricius Lemovicensis lib. I. epist. VII. ad
Basulum Cadurcorum, uti reor, Episcopum: *Li-
brum quem præstiteratis me remisisse significo.* Lib. II.
legis Visigothor. tit. V. cap. 11. *Si quis alicui jumen-
tum aut caballum aut aliud animal præstiterit.* Titulo
LI. legis Salicæ: *Si quis alteri de rebus suis aliquid
præstiterit, & ei reddere noluerit,*

- LIB. I. ABSIDAM] Editio Helmæstad. *absidem*. Utrum-
 c. 289. que dicitur, sed absida frequentius. Vulgò autem
 absidam interpretantur sedem sive thronum Episcopi
 in Ecclesia. Equidem consentio thronum fuisse, uti
 nunc quoque est, in absida, id est, intra spatium aræ
 majori propinquum, quod ut plurimum cancellis se-
 paratur à reliqua parte Ecclesiæ. Sed cum apud Ana-
 stasium in vita Leonis III. reperiam illum fenestras de
 absida ex vitro diversis coloribus conclusisse atque de-
 coravisse, cogor absidem interpretari de spatio illo
 quod, ut dixi, propinquum est aræ majori, & can-
 cellis separatum est à reliqua Ecclesia. Vide Glossa-
 rium Francisci Pithœi & Rosvveydi Onomasticon ad
 Vitas patrum.
- c. 290. CILICIUM] quod Ecclesiæ vestimentum vocat
 Ruricius lib. II. epist. XX. Vide Notas nostras ad ho-
 melias Cæsarij Arelatensis.
- c. 291. EXPELLANT] ex veteri Ecclesiæ more, qua
 pœnitentes à conventu & communione removebat. In-
 signis est in eam rem homilia prima Cæsarij Arela-
 tensis inter nostras. Sed hanc regulam postea in gra-
 tiam monasteriorum infregerunt Romani Pontifices.
- Pag. 141. UT PECCEMUS INSTIGAT] Hanc for-
 mulam esse vetustam facilè colligitur ex Ruricio Le-
 movicensi, apud quem ista leguntur lib. I. epist. XII.
*At quo priores dicturi sumus iniquitates nostras coram
 Domino vel prolaturi nisi diabolo utique, qui delictorum
 & inceptor est & delator? Ipse enim ut peccemus instigat.
 Ipse, cum peccaverimus, accusat. Et ideo in confessione
 criminum à nobis præveniat in seculo, ut contra nos
 non habeat quod proferat in futuro.*
- Pag. 145. NECASTI PARTUS] Obscurus est hic locus. Pa-
 rentibus enim imponit decem annorum pœnitentiam
 qui liberos suos voluntariè occiderint, statim verò eos
 duodecim annos pœnitere jubet qui filium vel filiam
 occiderint. Ne quis verò putet mendum heic esse, con-
 stans est hæc lectio in editione Helmæstadiensi & in co-
 dice Parisiensi, tum etiam in veteri libro pœnitentia-
 li quem Morinus edidit ex antiquissimo codice Siculo.
 Lux autem huic difficultati afferri potest ex Bur-
 chardo, apud quem ista leguntur in libro XIX. *Fecisti
 quod quadam mulieres facere solent, qua dum fornicant*

tur, & partus suos necare volunt, agunt ut utero conceptos excutiant suis maleficiis & suis herbis, decem annos per legitimas ferias pœnitere debes. Et infra: Interfecisti filium vel filiam voluntariè post partum? Si fecisti, duodecim annos per legitimas ferias pœnitere debes.

ANTE CONCEPTUM] id est. Potionibus & herbis mortiferis effecisti ne conciperes, annum unum pœnitentias. At si postea quàm concepisti, cùm gravida es, uterum tuum excullisti, tum tres annos pœnitere debes. Pœnitentiale Andegavense editum à Morino: *Mulier partum suum ante dies quadraginta sponte perdens, annum unum pœniteat. Si verò post quadraginta dies, tres annos. Si verò postquam animatus fuerit, quasi homicida.* Vide Burchardum lib. XIX.

VEGULA] Vide Hugonem Menardum in Notis ad librum Sacramentorum pag. 252.

CLEMENTIÆ ET MISERIC.] Ita omnino codex MS. Parisiensis & Burchardus lib. XIX. cap. VII. tum etiam Halitgarius in libro sexto. Nam editio Helmæstadiensis ita habet, *clementiam & misericordiam tuam ut famulo &c.* Morinus autem, *clementiam tuam & misericordiam tuam & majestatem tuam ut famulo.* Lectionem porrò codicis Parisiensis confirmat etiam liber pœnitentialis Egberti Eboracensis Archiepiscopi apud Morinum in appendice pag. 19. & codex Dionysianus ibidem editus pag. 70.

Fuere antiquitus varia absolutionum genera, de quibus fusè & eruditè tractat idem Morinus. Nunc verò heic in appendice actorum veterum edere visum est veteres formulas absolutionis quæ in usu erant ævo Gregorij XI. & Bonifacij IX. à me nuper inventas in veteri codice M S. bibliothecæ regiæ.

QUI CUNQUE] id est. Qui cunque ex his qui pœnitentiam acceperunt, ac vestes pœnitentium assumpserunt. Alioqui enim ridicula esset illa constitutio. c. 316.

SPECTACULA] Larvatos homines, *des masquarades.* Hæc enim sunt spectacula ultimorum temporum. Vide supra ubi de talamascis dictum est. c. 327.

SYNODUS HELIBERN.] In duobus vetustissimis codicibus manu scriptis, uno regio, & altero nostro, legitur: *Synodus Ebernensis dicitur. In tribus quadragessimis &c.* Verus collectio canonum Hibernicorum c. 328.

edita in tomo IX. Spicilegij Dacheriani ex vetustissimo codice M S. monasterij Corbeiensis, lib. XLIV. *Synodus Hibernensis. In tribus &c.* Viderat autem illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca vetustum codicem M S. in quo caput istud descriptum esse dicebatur *ex Concilio Hibernico*. Errant itaque qui constitutionem illam tribuunt Concilio Eliberitano. Illud admonendum, aliquos præterea canones Eliberitano Concilio tributos à Burchardo & Ivone, reperiri in collectione monasterij Corbeiensis. Unde trahi potest argumentum quoad alios qui non inveniuntur inter canones vulgatos synodi Eliberitanæ. Fusè porò alibi disputabimus de toto illo negotio de quo agitur in isto capite.

c. 332. EULOGIAS] id est, panem benedictum, ut hodie loquimur.

c. 333. Extat apud Burchardum lib. VI. cap. 33.

c. 335. COTTAM] Editio Helmæstad. *collum*. Sed codex Parisiensis disertè scriptum habet *cottam*. Burchardus & Ivo parte VI. cap. 283. *cotto sive cappa*. Concilium Metense habitum anno DCCCLXXXVIII. cap. VI. *Ve nemo Clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat, id est, cottos vel mantellos sine cappa non portet, & laici cappas non portent*. Cunradus Episcopus in Chronico rerum Maguntiacarum apud Reuberam pag. 453. *Arnoldus autem primordia sui consecrans præfulatus, purpuram optimam de almariâ tollens, sibi fecit vestes, tunicam, forcotium, & mantellum, ut in Imperatoris curia gloriosior appareret*. Cotta ergo sive cottus erat vestis oblonga, sed quæ caputio, ut hodie loquimur, carebat. Hæc erat vestis laicorum, quæ prohibetur Clericis ne utantur. Spelmannus tamen & Vossius volunt cottæ vocabulo significari latibulum, speluncam, casam, tugurium, gurgustium, imò etiam cellas & dormitorium monachorum. Frustra sanè est Vossius, qui cottum apud Petrum Damiani lib. II. epist. XV. interpretatur de vili cubili aut lectulo, cum heic agatur de veste monachali, sub qua monachus ille quotidie in lecto completorium infusurrabat. Nam monachis exuere vestem non licebat cum irent cubitum. Regula sancti Benedicti cap. XXII. *Vestiti dormiant & cincti cingulis aut funibus*. Regula Magistri

cap. XI. *Cùm dormiunt, vestiti dormiant & cincti.* LIB. I. c. 336.

Ex CONCILIO ADRISPHACH] Locum fuisse in Bajoaria indicat titulus istius capituli. Sed in qua parte Bajoariæ situs fuerit, aut quo tempore celebratum sit illud Concilium, non explicat. Forsitan intelligi debet de Concilio quod juxta ripam Danubij celebrare se velle scripsit ad Gregorium III. Bonifacius Moguntinus; ut legitur in epistola quinta ejusdem Gregorij, quæ est cxxx. inter Bonifacianas. Nam illic agitur de gente Bajoariorum, unde ad Gregorium scripserat Bonifacius. Bajoariam porrò Bonifacio commissam à Gregorio esse, & à Zacharia confirmatam, docet epistola ejusdem Zachariæ ad ipsum data, quæ est cxlii. inter Bonifacianas, & scribit etiam Vvilibaldus in capite nono de vita ejus. A Bonifacio igitur fortean celebratum est Concilium in ripa Danubij apud Adrisphach. Hæc est mea conjectura, quæ tamen non est admodum certa. Infrà capite 278. hujus libri extat aliud decretum ejusdem synodi. Et fortassis ad eam quoque pertinent cap. 280. & 282. usitato Reginonis more ut cùm ex superiore Concilio nonnulla per saltum petit, in titulo ponat *Vnde suprà.* Quod interdum errandi occasio Burchardo fuit.

DE MINISTERIIS] id est, de bonis & rebus Ecclesie c. 342. siæ, ut sensus postulat & docet præterea titulus capituli. Infrà cap. cclxxv. *Si aliquis de ministerio Ecclesie quolibet modo aliquid suratus fuerit, septem annos pœniteat.* Sic in veteri concordia monachorum Tutelensium cum Aureliacensibus nomine presbyteralis ministerij intelliguntur bona & res Ecclesie: *Presbyterale ministerium Ecclesie sancti Amancij de Faurcio, & tres mansos in eadem curte.* Vide quæ de fisco presbyterali suprà diximus in Notis ad caput xxiv.

IGNORANTE CONCILIO] id est, clero, infrà cap. c. 347. cccxlix. Concilium enim interdum dicebant cùm clerum intelligerent. Infrà capite cclvii. *coram Concilio Ecclesie.* Imperator Constantinus: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholica venerabilique Concilio decedens, bonorum quod optavit relinquere.* Non licebat ergo Episcopis distrahere bona Ecclesiarum absque consilio & assensu fratrum, nisi fortè terrulas aut vineas exiguas aut Ecclesie minùs utiles aut longè po-

LIB. I. fitas, ut placuit Agathensi Concilio.

c. 349. IN SUO CLERO] Legendum haud dubiè *in scio clero*. Verùm quia & Martinus Bracarenfis, ex quo caput istud sumptum est, tum Burchardus in duobus locis, & Ivo Carnotensis parte III. cap. 172. hanc lectionem retinuerunt, nos quoque retinendam propterea esse putavimus, præsertim cum & editio Helmæstadiensis & codex Parisiensis illam disertè exhibeant.

c. 362. PRECARIÆ] *Qui rem Ecclesia*, verba sunt Sirmon-di, *ad usumfructum sub annuo censu impetrabant, iis per precariam & præstariam dari solebat. Præstariam dabat Ecclesia rector, qui rem in præstitum concedebat, & quibus legibus eam concederet exponerebat; precariam petitor, qui rem precario accipiebat, qua censum & alias conditiones impositas expleturum se profitebatur.* Verum id quidem. Sed tamen æquè certum est precariæ & præstariæ vocabula confundi olim solita: quia res quæ precario tenebatur, præstata vel præstira dicebatur, id est, ad certum tempus tradita, *prestée*. Lib. 1. Antiquitat. Fuldensium apud Pistorium pag. 459. Lustrat quidam tria mancipia donans monasterio Fuldensi, Abbati Ratgario significat se mancipia illa donare ea conditione *ut & ego illis, usque dum hujus vite curricula patior, ad sustentationem per vestram precariam.* Innumera ferme sunt istiusmodi exempla in his libris Antiquitatum Fuldensium & alibi. Charta Salomonis Abbatis sancti Galli apud Goldastum in tomo secundo rerum Alamannicarum pag. 69. *Complacuit nobis ut res quas nobis tradidit Ingelboldus per hanc precariam ei præstaremus.* Suprà pag. 65. *præstaria in quinquennio renovata*, juxta legem de precariis renovandis quam Regino refert infra cap. CCCXXV. hujus libri. Precarias ergo dabant & hi qui rem præstabant. Porro pro his verbis dicebant etiam precationem, petitionem, præstationem, beneficium, ut patet ex laudatis Antiquitatum Fuldensium libris.

c. 363. USUFRUCTUARIO] id est, per precariam. Nam qui olim per precariam possidere dicebantur, sequenti tempore res Ecclesiarum tenere dicebantur usufructuario, ut patet ex iisdem libris antiquitatum Fuldensium. Idem enim valet tenere precario & usufructuario.

Caput istud non est divisum in editione Helmæstadiensi, neque in Capitulis Karoli Calvi, unde sumptum est. Divisum itaque illud exhibet codex Parisiensis ita ut à nobis editum est. Primum vetusti codicis auctoritas effecit ut ab editione Helmæstadiensi recederemus in hoc loco. Deinde ita nobis faciendum fuit ut originem istius divisionis ostenderemus, cum caput istud eodem modo apud Burchardum & Ivonem divisum reperitur quo in codice Parisiensis. Sed Burchardus, cum apud se statuisset ne uteretur auctoritate Capitularium Regum Francorum, duas istius capituli partes tribuere maluit Concilio Maticensi & Concilio apud Carisiacum. Quod fraudi fuit Ivoni, qui parte III. cap. 233. & 234. describens Burchardum, constitutiones illas accepisse se docet ex Maticensi Concilio & ex Concilio apud Carisiacum. Arte igitur & industria Burchardi effectum est ut pleraque capitula putarentur edita in synodis quibusdam, quæ tamen à Regum nostrorum auctoritate profecta erant.

NISI AD LIBERTATEM] Fortassis istud decretum est adversus barbaram & stultam quorundam consuetudinem, qui mancipia & servos Ecclesiarum commutabant cum mutis animalibus, puta cum equis, ut testatur Lullus Archiepiscopus Moguntinus in epistola centesima inter Bonifacianas,

NULLUS EPISCOPOR.] Prohibet hic canon ne die dominico quisquam ex iis qui in clero constituti sunt iudicet aliquam causam. Quod ideo statutum esse apparet, ne quis avocatus ab oratione, Ecclesiam Dei negligeret. Noverat hanc regulam Agano Augustodunensis Episcopus. Et tamen ipsa sacratissima Pentecostes die negotium quoddam suscepit iudicandum. Sed sciendum est illud fuisse tanti momenti ut Ecclesiam turbaret. Præfatus itaque *in tanta die non secularibus sed divinis officiis vacandum* fuisse, negotium illud ait se suscepisse iudicandum, propter gravitatem ejus, *divinum*, inquit, *etiam formidantes iudicium, si nostra non mitigarentur auctoritate.* Integrum Aganonis diploma, cum multa contineat notatu digna, edemus in appendice actorum veterum.

ANTE MISSAM] Hodie aliud obtinet. Nam si ea temporum necessitas incidat ut oporteat agricolis

LIB. I.
c. 369.

c. 376.

c. 378.

aut aliis operariis permittere ut laboribus suis incumbant in diebus dominicis aut festivis, id jam non licet ante Missam, sed postquam ea celebrata est.

c. 382. **BANNIATUR**] ejiciatur, expellatur.

c. 394. **QUICUNQUE LIBERT.**] Ex isto canone, qui re vera est Concilij Toletani quarti, orti sunt quamplures spurij canones Toletanis Conciliis perperam tributi, cum in illis non extent neque extare possint. Istum Regino laudaverat ex Concilio Toletano. Tum caput cccxcvi. (quod sumptum est ex libro primo Capitularium, quemadmodum & cccxcv.) retulit *Ex eodem, cap. 82.* id est, ex eodem libro Capitularium. Burchardus, seu ista non animadvertens, an quia destinaverat Capitularium librorum mentionem nullam facere, caput cccxcvi. laudavit ex Concilio Toletano cap. 82. Tum eidem Concilio tribuit etiam capita 397. 98. 99. 402. cum duobus sequentibus, quia in codice Reginonis adnotatum non erat unde illa sumpta essent. Ex quo Burchardus colligebat sumpta omnia esse ex Concilio Toletano. Burchardum secuti sunt Ivo & Gratianus. Sed Loaysa noluit pro canonibus Toletanis agnoscere capita illa, quamvis ea retulerit in fine Concilij primi Toletani, satis innuens his verbis non putare se condita fuisse in Conciliis Toletanis: *Fragmenta sub titulo Conciliorum Toletanorum vel corruptè vel falso citata, cum in his Conciliis non inveniuntur.*

c. 399. **DE FAMILIA ECCLESIAE**] id est, ex mancipiis & servis Ecclesiae. Vide lib. iv. legis Vvisgorthor. tit. v. cap. vii.

c. 402. **QUI DEBITUM**] Formula ista extat etiam apud Marculfum lib. ii. cap. xxxii. sed paulò diversa. Item in Chartulario monasterij Ufercensis apud Lemovices.

c. 403. **LEGE MUNDANA**] Lib. ii. cap. cxii. *secundum legem mundanam finiatur.* & cap. ccxxxviii. *secundum mundanam legem mortem suscipias.* Mundana lex distinguitur illic ab ecclesiastica, id est, civilis à canonica. Sed tum ita loqui malebant. In praefatione Capitularium leges dividuntur in mundanas & ecclesiasticas. Priores duo libri pertinent ad legem ecclesiasticam, duo sequentes ad legem mundanam. Prior respicit

respicit Episcopos & sequentium ordinum Clericos ac monachos, secunda laicos. LIB. I.

IN PACTO FRANCOR.] Caput istud inter- c. 404.
 grum retulit Burchardus in suo Decreto, ex Con-
 cilio Toletano, ut assollet, sed Pactum non descripsit.
 Itaque obscurus erit hic locus legenti Burchardum,
 nisi subsidium petat à Reginone, qui Pactum statim
 posuit in hoc loco. Intelligit autem Pactum à Francis
 initum cum Ripuariis. Hoc solenni vocabulo tum ute-
 bantur ut fœdus significarent vel conventiones pacis.
 quod nos hodie diceremus *Traicté de paix ou d'alliance*.
 Synodus Dingoltingensis cap. VII. *De eo ut nullus he-
 reditate sua privetur nisi per tres causas quas in Pacto
 scribentur*. Eginhardus ad annum DCCCXII. loquens
 de Legatis Michaëlis Imperatoris CP. ad Karolum
 magnum missis: *Aquisgrani ubi ad Imperatorem vene-
 runt, scriptum Pacti ab eo in epistola suscipientes, inde
 reversi Ramam, in basilica sancti Petri eundem Pacti
 seu fœderis libellum à Leone Papa denuo susceperunt.*

QUI EPISCOPUS] Caput istud aliqua cura no- c. 443.
 stra indiget. Sumptum est enim ex Statutis Ecclesiæ
 antiquis, quæ unicuique Episcopo olim legebantur in
 consecratione sua. Statuta antiqua orientalium vocat
 Atto Vercellensis in epistola octava; ubi docet ea di-
 numerata fuisse in centum capitula, initium autem eo-
 rum fuisse *Qui Episcopus &c.* Viderat duo istorum sta-
 tutorum exemplaria Severinus Binius, unum monaste-
 rij Gemblacensis, alterum sancti Bavonis in Gandavo.
 Quò magis mirum est edita ab illo non fuisse. Nam li-
 cèt descripta ut plurimum sint in Concilio Carthagi-
 nensi quarto, tamen illic non extant eo ordine quo le-
 guntur in libris antiquis. Regino, quia ista accipiebat
 ex Concilio illo Carthaginensi, non citavit Statuta
 Ecclesiæ antiqua. Nos, cum res magni momenti sit, &
 statuta illa perdiù viguerint in Ecclesia, illa quando-
 que edemus ex vetustissimo codice MS.

AD LIBRUM SECUNDUM.

EX CONCILIO ROTOMAG.] Concilij cu- c. 1.
 juspiam Rotomagensis canones frequenter laudat

Regino, qui tamen non reperiuntur in collectionibus Conciliorum. Nam præter istum canonem Regino ex eodem Concilio refert capita 68. 69. 167. 390. 406. 415. & 416. istius secundi libri. Antiquum autem esse oportuit Concilium illud, cum habitum sit ante Regionem. Fortassis etiam antiquius est anno DCCCLVIII. cum Herardus Turonensis utatur quibusdam verbis quæ extant in isto capite, ut statim dicitur. Sed alibi commodior erit de his agendi locus.

SYNODUM] id est, conventum in Ecclesia habendum cum Episcopus ad illam accedet visitaturus. Duplex ergo synodus, uti supra diximus. Una, quam Episcopus in civitate agebat; ad quam venire tenebantur Presbyteri ex rusticanis parœciis, pro inquisitione ministerij sui. Alia, quam Episcopus vel ejus ministri tenebant in unaquaque Ecclesia, cum visitationis munus obibant, in qua Presbyteri reddebant rationem ministerij sui, & in qua judicabantur causæ synodales uniuscujusque parœciæ. Infrà cap. CXXXIV. *De hoc quod mihi reputatum est in hac synodo &c.* Et cap. CXXXVIII. *De hoc quod tu accusata es in præsentia istius Episcopi in hac synodo &c.* De hac ultima synodo intelligendum puto canonem Triburiensem à Regino ne infrà relatam cap. CCXCVI. Quin & Richardus Bituricensis Archiepiscopus, qui regnante Philippo primo Francorum Rege vixit, conventum pro dedicatione cujusdam Ecclesiæ factum vocat Concilium, quia haud dubiè tunc illic fecit quod tum facere solebant Episcopi cum diœceses suas circuibant.

INPRÆTERM. OCCURR.] Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. CXXXIII. *Vt vocati ad synodum inprætermisèd occurrant. Sin aliàs, condemnentur.*

NEQUAQ. INFACIL.] juxta regulam sancti Gregorij, qui sic scribit ad Maximianum Episcopum Syracusanum lib. II. Indiçt. x. epist. IV. *Si qua fortassis difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequam dirimi possint, hæc solummodo nostrum judicium flagitent; ut sublevati de minimis, in causis majoribus efficacius occupemur.*

c. 2. EPISCOPUS IN SYNODO] Burchardus ista & quæ deinceps sequuntur usque ad caput sextum tri-

buit Eutychno Papæ, cui etiam tribuuntur in veteri codice MS. monasterij Rivipullensis. Verùm hinc manifestum est illa descripta esse in veteri codice ex Decreto Burchardi quoddam numeri illic adscripti sunt quales extant apud Burchardum. In titulo enim ista leguntur: *Decretalis institutio Euticiani Papæ, quid Episcopi in synodo debeant inquirere. Capitul. x c i.* Tum: *Jussurandum synodale x c i i.* Postea: *Juramentum ceterorum x c i i i.* Et sic de ceteris. Igitur ante Burchardum ista non dicebantur esse Eutychni Papæ; ut re vera illius esse non possunt, cum multa illic habeantur quæ Karoli magni ævum apertè redolent, Eutychnus autem Romæ sederit sub finem tertij seculi. Adeo autem nota non erant ævo Karoli magni, saltem sub nomine Eutychni aut alicujus alius Romani Pontificis, ut neque extant in collectione epistolarum pontificiarum ex quibus Galliam Germaniamque replevit Riculfo Archiepiscopus Moguntinus, neque ex Eutychno laudentur à Reginone. Quo factum pariter est ut qui collectiones Conciliorum procurarunt, cum sine delectu cuncta ederent quibus veneranda priscorum Pontificum Romanorum nomina præfiguntur, ista tamen Eutychni decreta omiserint. Mea opinio est, illa non esse ex Concilio quopiam, neque ex decretis alicujus Romani Pontificis, sed formulam fuisse secundum quam Episcopi interrogare debebant laicos in unaquaque parœcia, eam porrò formulam eodem tempore inventam fuisse quo Inquisitio de vita Clericorum quæ præmissa est initio libri primi.

SYNODALEM CAUSAM] id est, quæ ad Episcopi cognitionem pertineat, quæ judicari debeat in audientia episcopali, nimirum ad dandam pœnitentiam, ut patet ex capit. 238. 278. 318. & 426. istius secundi libri. Vetus charta nondum edita de pace Morinensis Ecclesiæ tempore Callisti secundi confecta: *Quod si Episcopus vel Legatus ipsius in loco ubi de synodalibus causis placitari solet injuriatus vel inquietatus fuerit, & pacificè synodalia determinare nequiverit, canonico judicio diffinitum est ut universaliter deinceps ad matricem conveniant Ecclesiam, illic de omnibus justitiam negotiis facturi de quibus ammoniti fuerint per Episcopi legationem.*

LIB. II.

FAIDAM] id est, apertam & capitalem inimicitiam ob cæsum aliquem de propinquis susceptam; ut rectè explicatum à Sirmondo est, & pater etiam ex isto Reginonis loco, itémque ex capite c c x x i. Interdum tamen faida significat simpliciter inimicitiam, quamvis de cæde non agatur, ut in libro secundo legis Longobardorum tit. xiiii. cap. ii. De faidis coërcendis constitutio extat infrà cap. l x x x i. A faida deductum est faidosus, id est, is qui faidam patitur, cujus vita in tuto non est propter inimicitias capitales. Ex eodem fonte fluxit vocabulum *faiditus*, quod significat propriè rebellem ac proditorem, ob eam causam proscriptum & exulem, ut adnotatum est à nobis in Notis ad Concilia Gallix Narbonensis. Fallitur enim Vossius, cùm ex prava lectione quæ extat apud Petrum monachum Vallium Cernaij in capite l x x x v. historix Albigenis, ubi post ruptarios nominantur *faidici*, tum etiam deceptus nota marginali, ubi scriptum est *forte faidici*, putavit heic agi de his qui fata aliis prædicturos se promittunt, cùm tamen de faiditis agatur, id est, proditoribus proscriptis seu bannitis. Hinc faidimentum pro proditione.

§. 6. QUOD MORTH DICUNT] Lib. i. legis Longobard. tit. ix. cap. xv. & tit. xxxvi. cap. i. *Si servus Regis morth fecerit, ita decernimus, ut componat ipsam personam sicut appretiata fuerit, & servus ipse super fossam ipsius mortui appendatur, ut in eo vindicta detur, & sit causa finita.*

§. 53. ORDIENDIS TELIS] Editio Helmaestad. *ordinandis. Codex M S. ordiendis. Isaix cap. xxv. Telam quam orditus est.*

§. 55. NISI IN ECCLESIA] Igitur per illas tempestates corpora mortuorum deferrebantur ad Ecclesiam, ibique custodiebantur in vigiliis nocturnis. Istud dein de mutatum est. Sed quo tempore acciderit ista immutatio non adeo facile discerni potest. Vir clarissimus Laurentius Bochellus in libro tertio Decretorum Ecclesix Gallicanæ tit. xviii. cap. xi. refert decretum quoddam ex *synodalibus Ecclesix Remensis*, in quibus cavetur ut corpora mortuorum non vigilentur in Ecclesia de nocte propter maleficia qua ex hoc accidere possent & saepe acciderunt temporibus retroactis. Tum in capi-

te xxx. ejusdem tituli describit aliud decretum ex synodalibus Ecclesiæ Trecentis, in quo ita scriptum est: *Inhibeant curati suis parochianis ne vigilent in Ecclesiâ de nocte quando corpora aliquorum defunctorum ibidem deportantur vel alibi, propter maleficia quæ ibidem fiunt & temporibus retroactis contigerunt.* Sed vir clarissimus non adnotavit tempus quo statuta illa condita fuerunt. Jam antea Concilium Eliberitanum statuerat in canone xxxv. *ne femina in cœmeterio pervigilent, eò quòd sape sub obtentu orationis scelera latenter committant.*

Burchardus ista descripsit in initio libri sexti, ex c. 6. Concilio Triburiensi. Et tamen verbis Reginonis utitur, quæ elegantiora sunt vulgatis editionibus synodi Triburiensis. Tum tribuit illa primitus Melchiadi Papæ, cui à nullo alio tributa sunt. Sed cùm videret Reginonem ea repetere ex sanctionibus canonicis & ex iudicio Episcoporum, iudicium Episcoporum canonicis Concilij Triburiensis, sanctiones canonicas putavit tribuendas esse Romano cuiusdam Pontifici. Tum verò opportunè illi haud dubiè occurrit nomen Melchiadis. Hoc erat hominis ingenium.

MISSAM S. JOHA.] id est, festum.

Caput istud non extat in vetustissimo libro Capitularium bibliothecæ regię ex quo prima Parisiensis editio Capitularium prodiit, neque in Colbertino, non demum in Rivipullensi. Quia tamen ex veteri libro editum est, cùm illi præterea fidem faciat ista collectio Reginonis itémque vetus collectio canonum MS. in bibliotheca regia, dubium non est quin fuerit olim in libris Capitularium. Sed utrum fuerit descriptum in libro quarto, ut habent vulgatæ Capitularium editiones, vel in secundo, ut Regino citat, vel demum in quinto, ut in veteri collectione quam mox laudavimus, difficile dictu est. In collectione autem illa sic legitur: *Capitularium lib. v. cap. xc. Presbyteri interfecti Episcopo ad cuius parrochiam pertinent solvantur.* Unde colligere possumus librariorum quandoque industria effectum esse ut permulta omitterentur in exemplaribus novis quæ faciebant Capitularium, quæ tamen extabant in illis antiquioribus. Burchardus, ut assolet, caput istud non laudat ex libris Capitularium, sed ex Concilio Triburiensi cap. v. In capite sanè quarto il-

LIB. II.

lius Concilij statuitur de compositione Presbyteri occisi. Attamen omnia diversa sunt à sensu istius capituli. Hinc ergo deceptus est Burchardus quòd putaret capita quæ sequuntur post caput xxxvii. istius libri, quod expressum est ex canonibus Concilij Triburiensis, ad idem Concilium pertinere donec veniretur ad constitutionem Concilij Vormatiensis. Hic est fons & origo, quod sæpe dicendum est, multorum errorum apud Burchardum. Sed tamen idem in hoc loco videtur non egisse bona fide. Nam quæ illic dicuntur de Capitulari Karoli magni, ea omisit, ne quis putare posset accepisse se istud caput ex libris Capitularium. Itaque qui clausulam illam suis editionibus adjectam non habent Ivo & Gratianus, ij decepti à Burchardo sunt.

c. 43. CUM DUODECIM] Apud Burchardum & Gratianum legitur *cum lxxii. juret*. In Concilio autem Moguntino, unde sumptum est hoc caput, legitur *cum xii. juret*. Quo etiam modo habetur apud Reginonem tam in editione Helmæstadiensi quàm in codice Parisiensi. Absurdum præterea est quemquam cogi ad inveniendum tot conjuratores. Denique duodecim tantum vulgò tum adhiberi solitos patet ex libro secundo Capitular. cap. 23. lib. iv. cap. 13. & 26. lib. v. cap. 201. tum etiam ex libro primo legis Longobardor. tit. xiii. cap. 3. tit. xvi. cap. 2. tit. xxv. cap. 73. & lib. ii. tit. i. cap. 2. tit. xiv. cap. i. & tit. lv. cap. 2. 3. 5. & 33. ex titulo denique liii. legis Alamannorum, & ex titulo viii. & lii. legis Burgundionum, Attamen lxxii. sacramentales adhibitos fuisse in causa Otæ Reginae docet auctor annalium Fuldensium ad annum dcccxcviii. si vera est lectio.

UXOREM AMITTAT] Apud Burchardum & Gratianum, tum etiam in libro quinto Decretalium, legitur, & *absque spe conjugij maneat*, magno inter hæc discrimine, ut nemo non videt. Sanè caput xxiv. Concilij Moguntini, unde, uti diximus, sumptum est hoc caput, habet & *uxorem amittat*.

c. 61. REGINALDUM CHOREPISC.] Levabat hic Otgarium Moguntinum Archiepiscopum fasce episcopali, ut patet ex Rudolfo in vita Rhabani & ex veteri inscriptione quam Brovverus edidit in libro secundo antiquitatum Fuldensium cap. xv. quæ sic habet: *An-*

no Domini DCCCVIII. (lege DCCCXXXVIII.) In- LIB. II
 dictione xv. dedicatum est hoc oratorium jussu Otgarij
 Archiepiscopi à Reginbaldo Corepiscopo vi. Kalend. Octo-
 bris. Epistola porro Rhabani ad eum scripta, quam
 heic citat Regino, nondum edita est integra. Frag-
 meata autem alia ab isto refert Regino infra cap. cci.
 & cccxliv. Reginaldi epitaphium extat inter poë-
 mata Rhabani. Eo itaque mortuo, Thiotmarus fuit
 Chorepiscopus Moguntinus, ut Rhabanus testatur in
 epistola ad eum scripta, quæ extat in initio libri de sa-
 cris ordinibus. Hæc sunt ejus verba: *Et quia mei coo-
 peratorem in sacro ministerio te elegi, hortor ut quod pro
 infirmitate corporis coram multis exponere non possum, tu,
 qui junior atate & validior es corpore, illis qui ad sacer-
 dotium ordinati sunt & ministerium sacerdotale agere
 debent notum facias.* Itaque codex vetus bibliothecæ
 regiæ ex quo nos nuper edidimus librum Rhabani de
 Chorepiscopis, fuit ejusdem Thiotmari, cum in fron-
 te libri ista antiquitus scripta sint: *Thiotmar Corepif-
 copus adquisivit.* De quo libro, quoniam occasio tulit,
 admonendum est mentionem factam esse à Rudolfo
 Presbytero in vita Rhabani. *Sunt quoque alia opuscula
 ejus, inquit, qua ad interrogata diversorum eirespon-
 dere necessarium fuit; quorum unum est de Corepiscopo-
 rum ordinatione; super quo ad Drugonem Archiepisco-
 pum scripsit librum unum.* Sed ut ad Thiotmarum re-
 deamus, fuerat ille antea monachus Fuldenfis sub
 Rhabano, ut docet idem Rudolfus his verbis: *Quidam
 Presbyter ex monachis nostris, nomine Theotmar, pro
 causis quibusdam ab Abbate ad Otgarium Archiepisco-
 pum missus.*

ANTE JANUAM] Jubet hic canon ut pueri quo- c. 69.
 rum matres agnosci nolunt, non occidantur, sed ante
 januam Ecclesiæ projiciantur, ut dein ab aliquo fide-
 li suscipiantur nutriendi. Vide lib. vi. Capitular. cap.
 142. & Burchardum lib. III. cap. 201. & 202.

Caput istud non extat in libro tertio Capitularium, c. 75.
 ut hodie editus est, sed in primo. Et tamen habetur in
 fine libri tertij in veteri codice M S. ex quo prodiit
 Parisiensis prima editio Capitularium, item in codice
 Rivipullensi, tum etiam in Colbertino. In nullo au-
 tem veterum codicum quos vidi extat in libro primo.

Et, quod mirum est, non extat in codice quo usi sunt qui primam editionem Parisiensem adornarunt. Simile accidit capiti de æqualibus mensuris & ponderibus, ut adnotabimus infra ad caput ccccxxvii. istius libri.

- c. 77. **CAMPUM APPELLANT**] Sic emendatum est ex codice M S. Parisiensi. Nam editio Helmæstadiensis habebat *quod Capitulum appellant*. Diploma Roberti Regis à Francisco Pithæo laudatum: *Legem duelli. quod vulgò dici ur campus*. Synodus Dingolvingensis cap. *xxiv. Qui supra prædicta pugna, quod Camfovic dicimus, peracto iudicio, se simili vindicta erigere contra querentem præsumpserit, sacramentum quod abteid dicitur ju et in Ecclesia cum tribus supra nominatis sacramentalibus*. Hinc camphio in lege Longobardor. lib. *ii. tit. lv. cap. xi. & xxi v.* Et campio ibidem lib. *i. tit. iiii. cap. vi.* Vide Glossarium Lindenbrogij.
- c. 80. **COTTIONES**] Hincmarus epist. v. ad Karolum Calvum: *Etiã ipsi cocciones rapinas faciunt*. Vide Glossarium Pithæi.
- c. 81. **COERCENDIS**] Ita vetus codex, cui consentiunt libri Capitularium. In editione Helmæstadiensi legitur: *De fãidis cohæredum*.
- c. 109. **NON HOMO**] Eodem argumentandi genere usus est Innocentius III. ut ostenderet translationes, depositiones, ac cessiones Episcoporum jure divino pertinere ad Summum Pontificem. Ait enim Deum suo tantum iudicio reservasse dissolutionem carnalis conjugij, vinculum autem spirituale fortius esse quam carnale, & ideo ista attingere nullum posse præter Pontificem Romanum. *Non enim, inquit, humana sed etiã divina potestate conjugium spirituale dissolvitur cum per translationem vel depositionem aut etiã cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur*. Extat hæc constitutio lib. *i. epistolarum Innocentij III. epist. 532.* & inde in cap. *Inter corporalia*. De translatione Episcopi. Vide lib. *vii. de concordia sacerdotij & imperij cap. xxvi. §. viii.*
- c. 114. **CUM NOS EX UTRAQUE**] Hæc adnotandum est Nicolaum Papam non traxisse ad se cognitionem divortij Lotharij & Therbergæ ex privilegio tantum

suæ sedis, sed quia iudex electus erat ab utraque parte. Quæ observatio magni momenti est ad retundendam Innocentij I I I. argumentationem, qui ad Philippum Augustum scribens de divortio ejus cum Ingeburge, exemplum Lotharij referens, quæ adversus illum à Nicolao facta sunt, ea ab ipso facta esse scribit vi officij ac potestatis suæ. *Putásne*, inquit, *magnifice Rex, quòd cæsi præfatus prædecessor noster præstantior nobis fuerit merito & sapientia, nos eo simus officio & potestate minores?* Data Laterani v. Idus Decembris anno MCCVIII.

SINE LICENTIA] Vide Notas ad apologeticum c. 126. Agobardi cap. 1 x.

Apud Paulum lib. I I. Sentent. tit. x i x. caput istud c. 130. sic expressum est: *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed contractum matrimonium furore non tollitur.* Cui sententiæ hanc interpretationem subjunxit Anianus: *Si qui matrimonium sani contraxerint, & uni ex duobus amentia aut furor accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt.* Hæc tantum apud Paulum & interpretem. Quæ sequuntur ergo apud Reginonem & Burchardum sumpta fortassis sunt ex epistola Nicolai primi ad Karolum Archiepiscopum Moguntinum, cujus fragmenta referunt Luitprandus seu quis alius in vita Nicolai I. Burchardus in excerptis editis à Stevartio pag. 687. & Gratianus dist. 50. cap. 33. & 32. q. 7. cap. 25. Quod ultimum caput, illud nimirum de quo nunc agimus, eidem Nicolao tribuit Burchardus. Sed apud Gratianum additur clausula quæ non extat apud Reginonem & Burchardum. Sic enim habet editio Gratiani: *Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excœcantur, aut membris truncantur, aut à barbaris exsecti sunt.* Vide Autonium Augustinum lib. II. de emendatione Gratiani, dialogo x v i i i.

EADEM NOCTE] Hortatur hic canon virum & novam nuptam uti prima nocte nuptiarum abstineant ab opere conjugali. Hæc exhortatio postea versa est in necessitatem in aliquibus diœcesibus. Nam, ut istud exempli dicamus, apud Abbatis-villam in diœcesi Ambianensi ea olim consuetudo erat ut illis qui noviter matrimonio juncti erant non liceret coïre tribus

LIB. II. prioribus noctibus post nuptias. quam consuetudinem decreto suo sustulit Parlamentum Parisiense anno M D I. die XI. Martij. *Quant à non coucher de troys nuys avec sa femme au commencement du mariage, les demandeurs auront la recreance le proces pendent, & pourront les espousés coucher franchement les troys premieres nuys avec leurs femmes.* Decretum illud integrum in suis Statutis synodalibus inseruit Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis. Sic Innocentius III. lib. x. epist. LXXXV. repressit avaritiam Episcopi Aniciensis, qui legitima viduarum matrimonia impediabat donec ejus consensum numerata pecunia redemissent.

GENITIARIAS] Vide suprâ cap. CCX LVI. libri primi.

c. 178. MUNDIBURDIS] id est, tutoribus, ut infrâ in cap. XXXVIII secundæ appendicis. Tutelam patrocini nomine designat vulgatus canon XXIV. Concilij Triburienfis, ex quo sumptum est istud caput. Mundeburdus autem vel mundeburdium significat tuitionem, defensionem, protectionem. Mundualdum pro mundiburdo sive tutore dicunt leges Longobardorum.

c. 179. AB ALTARI] Ipsæ enim velum ab altari sumere debebant & sibi imponere. quod vetitum erat Episcopis.

c. 199. MORCHIDUM] Ita editio Helmastadiensis, ita codex Parisiensis, ita Burchardus, ita Pœnitentiale Romanum Antonij Augustini tit. I I I. cap. VIII ita denique Ivo parte IX. cap. LXX. in omnibus editionibus. Et tamen Lindenbrogius & Vossius ita confidenter *mortridum* legunt apud Ivonem ac si ea sola lectio illic haberetur, cum nullum interim vetustum codicem laudent suæ emendationis auctorem. Visum est igitur retinendam esse veterem lectionem; quam etiam, consensum tot librorum secuti, reposuimus in capite vigesimo epistolæ Rhabani ad Heribaldum, cum editio Stevartij haberet *mordicum*. quæ vox, tamenetsi corrupta, indicat *morchidum* primitus scriptum fuisse in illa epistola. *Morchidum* itaque, ut rectè monuit Antonius Augustinus, homicidium significat, non à cæde tamen deducta origine vocabuli, ut ille putavit, cum *morchidum* non sit vox Latina, sed Theodisca, ut docet Rhabanus in loco mox laudato.

c. 200. SCELUS MULTIPLICETUR] Post illa verba

desunt octo folia in codice Parisiensi M S. nimirum LIB. II.
 usque ad paragraphum septimum capitis c c x l v i. Ita-
 que hunc hiatum opportunè supplevit Helmaſtadien-
 ſis editio ; quam, ſicubi mendo non vacare viſa eſt,
 emendavimus ex vulgatis editionibus Conciliorum
 aut ſcriptorum ex quibus petita ſunt capita quæ in illis
 octo foliis deſcripta erant, tum etiam ope Burchardi
 & antiqui codicis M S. ſancti Germani de pratis in
 quo extant fragmenta aliquot epistoſarum Rhabani ad
 Humbertum Epiſcopum & ad Reginaldum Chore-
 piſcopum. Alicubi etiam adjumento nobis fuit Pœni-
 tentiale Romanum editum ab Antonio Auguſtino. Ti-
 tulos verò capitum emendavimus ex indiculo qui præ-
 fixus eſt initio operis.

GENICULO] id eſt, generatione, progenie. Vide c. 212.
 lib. v i. Capitular. cap. 80. & 128. Concilium Mo-
 guntinum ſub Rhabano cap. xxx. & libro i i. legis
 Longobardor. tit. xiv. cap. 1. Dicebant etiam genu pro
 geniculo ; ut in Capitulis Ahytonis Baſileenſis cap.
 xxi. & alibi.

SEXAGINTA SOL.] Pœna ejus qui inceſtuofum ſuf- c. 222.
 ceperit, heic apud Reginonem erat x l. ſolidorum.
 Nos, quia hoc loco deſtituebamur auxilio manu ſcrip-
 ti codicis, aliunde iſta emendavimus. In Concilio
 quippe Merenſi ſub Pippino, unde iſta ſumpta ſunt,
 tum etiam in libris Capitularium editis & manu ſcrip-
 tis, denique in canonibus Iſaac Lingonenſis Epiſcopi
 tam editis quàm MSS. tit. iv. cap. 1. conſtanter ſcrip-
 tum eſt eum qui tranſgreſſus fuerit hanc legem, ſexa-
 ginta ſolidos Regi compoſiturum. Hic enim erat ban-
 nus dominicus ſeu regius, ut patet ex variis locis Ca-
 pitularium. Error igitur apud Reginonem ortus ex
 tranſpoſitione numerorum, x l. pro l x.

COMPUTARE] narrare, *compter*. c. 231.

AD CRUCEM] Veritum deinde eſt judicium cru- c. 243.
 cis lege Karoli magni quæ extat in libro primo Capi-
 tularium cap. c v i i i. & lib. i i. legis Longobardor.
 tit. lv. cap. xxx i i. Nihilo tamen minùs retentus eſt
 hic mos, ut patet ex Agobardo.

SERVITIO HUMANO] Erat igitur aliquod libidi- Pag. 304
 nis genus quod homines liberos ad ſervitutem demit-
 tebat, ſicut de feminis adnotatum eſt ſuprà ad caput

CCXLVI. libri primi. Sic in lege Vvisigothorum lib. VIII. tit. VI. cap. II. adulterator monetæ libertatem amittit & servitio deputatur.

- c. 262. HÆC DE MULTIM.] Verba sunt Reginonis.
- c. 274. BASTINIACO] In libro sexto Capitularium & in Capitulis Karoli Calvi legitur *bastonico*. Id autem interpretantur arctissimam custodiam. Ego puto intelligi de carcere regio, cujusmodi sunt quæ nunc conciergeriæ vocantur. Porro clausula illa *Postmodum vero &c.* usque ad *pœnas luat*, non extat in editione Helmæstadiensi. Addita igitur est ex codice Parisiensi.
- c. 276. CORPUS DOMINI] Jam alij observaverunt unam ex diversis judiciorum formis quæ olim usurpabantur in rebus dubiis fuisse corpus Domini. Quod à Roberto Rege damnatum esse in epistola scripta ad Leothericum Archiepiscopum Senonensem docet Helgaldus in initio vitæ ejus. Attamen hunc morem retentum adhuc fuisse ævo Gregorij VII. testatur Lambertus Schafnaburgensis ad annum MLXXVII. ubi ait Gregorium, celebrata Missa, confectaque sacra oblatione, Regem evocasse ad altare, & manu preferentem corpus dominicum, cum multa prolocutus esset de sua innocentia, hæc demum addidisse: *Vt satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus dominicum quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentia mea; ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus. Hæc & alia, ut solenne est, præfatus verba terribilia, quibus Deum causa sua æquissimum judicem & innocentia assertorem adesse precabatur, partem dominici corporis accepit & comedit.* Vide caput sequens Reginonis, quod est de eadem materia. Vide etiam appendicem adjectam chronico Reginonis ad annum DCCCCXLI.
- c. 282. SACRILEGIUM FACIT] Vide Notas ad librum Agobardi de dispensatione ecclesiasticarum rerum cap. XVIII.
- c. 292. FAIDAM PORRET] *Porte inimitiæ.* Vide Sirmondum in Notis ad Capitula Karoli Calvi.
- c. 295. COMMUNIONE] Legendum *commonition*, ut monuimus in margine. Nam & in canonibus vulgatis

Concilij quarti Toletani scriptum est *admonitione* pro eo quod Regino habet *communione*. Et mox canon admonitionem vocat quod hoc loco communionem dixerat. Infrà cap. 408. legitur: *Quòd si eas tres admonitiones &c.* Codex autem Parisiensis habet: *Quòd si eas tres communiones*. Ex his ergo colligitur voces *communio* & *commonitio* permutari olim invicem solitas, adeoque legitimam esse emendationem ab illustrissimo viro Petro de Marca Parisiensi Archiepiscopo adhibitam epistolæ Concilij Italici ad Theodosium: in qua cum editum à Sirmondo sit, à qua in omnes veneranda *commonitionis jura dimanant*, Marca reposuit *communio*.

LIB. II.

IMPUNITAS VITIORUM] Lupus Ferrariensis in libro de tribus quæstionibus pag. 210. *Spes impunitatis magna est peccandi illecebra*. Constat Lupum interfuisse huic synodo Sueffionensi, in cujus actione secunda revelavit synodo gesta depositionis Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Cum itaque in synodo fuerit, & in canone isto verba ejus reperiantur, dubitare cogor annon auctor sit canonum istius synodi Sueffionensis, quemadmodum auctor est canonum inventorum in palatio Vernensi. Nam Episcopi Gallicani, ut olim diximus ad epistolam L X. Lupi, adeo magni virum faciebant ut cum spectarent veluti conditorum canonum, atque adeo ejus præsentiam in synodis necessariam esse quodam modo existimarent. Rursum ejus opera usi sunt Vvenilo Senonensis Archiepiscopus & suffraganei ejus cum adversus Herimannum Episcopum Nivernensem ad Nicolaum Papam scriberent epistolam CXXX. inter Lupinas.

c. 297.

CONTIONE VEL CONTENT.] In Codice Theodosiano tantum *in contentione* habetur. Itaque admonitio fuit librarij; qui cum divinare non posset quid potius legendum esset, *contione*, vel *contentione*, utrumque posuit, lectori judicium integrum relinquens. Sic enim solebant antiqui librarij, ut pluribus exemplis probavimus ad Salvianum pag. 403. & ad Lupum Ferrariensem pag. 346. & 451. Eadem medicina forassis adhibenda est huic loco Minucij Felicis: *dum aras extruunt ignotis numinibus & manibus*. Hanc ultimam vocem heic esse superfluum aut corruptam

c. 309.

putabat Des. Heraldus. Quid si legamus, *ignotis numeribus vel manibus*, ut sit admonitio librarij? Sic apud sanctum Gregorium lib. IV. epist. LIII. editum est, *ex istius rei consideratione seu comparatione bene colligitur*. Pro quo hæc tantum habentur in vetustissimo codice MS. sancti Remigij Remensis: *rei comparatione colligitur*. Ista levissima sunt interdum magni momenti.

c. 312] AUDET JURARE] Constans apud Reginonem, tum in editione Helmæstadiensi, tum in codice Parisiensi, lectio est *in sanctis audet jurare*. quo etiam modo scriptum est apud Burchardum, qui Reginonem haud dubiè descripsit. Et tamen in omnibus libris Capitularium tam editis quàm MSS. legitur *in sanctis habet jurare*, optimo sensu. eaque lectio sola bona est. Lectionem porrò ejusdem capituli quam præfert Regino, in qua nulla mentio de Gunebodignis, confirmant vetustissimi libri Capitularium bibliothecæ regie & Colbertinæ, tum etiam Burchardus & Ivo Carnotensis parte XII. cap. 23. & vetus collectio canonum MS. in bibliotheca regia, itémque Gratianus 22. q. 5. cap. *Parvuli*. Nullibi enim extat clausula quæ huic loco adjecta est in editione Capitularium, *sicut Gunebodigni faciunt*. Eam tamen exhibet editio Viti Amerbachij, tum etiam editiones Parisienses, & vetus codex M. S. monasterij Rivipullensis, denique liber legum Longobardicarum. Adnotat autem Amerbachius in codice quo ipse usus est vocabulo *Gunebodigni* superpositum fuisse vocem *Guntbodigni*, neutrum verò esse in cap. *Parvuli*. 22. q. 5. *Significatur autem*, inquit, *gens aliqua, vel populus, vel familia*. Amerbachio felicior non fuit in explicatione istius vocabuli vir aliqui doctissimus Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis; qui in libro primo de emendatione Gratiani dialogo XIII. quærens quid significet vox *Gunebodigni*, fingit Karoli magni hostes fuisse. Et tamen Gunebodigni, id est, ij qui lege Gundobada vivebant, nimirum Burgundiones, hostes non erant Karoli magni, cum imperio illius subjecti essent. Gunebodignos autem eos fuisse qui Gundobada lege utebantur, tum vox ipsa satis ostendit, tum præterea patet ex laudato libro legum Longobardicarum, ubi pro eo quod edi-

tiones Capitularium habent *Gunebodigni* legitur *sicut* LIB. II. *Gundobada lege viventes faciunt*. Vide Notas nostras ad librum Agobardi adversus legem Gundobadi.

EXCEPTO HIS SACR.] Sic vulgò per ea tempora loquebantur. Infrà cap. CCCLVIII. *excepto ad Ecclesiam*. Lib. III. legis Vvisigothor. tit. v. cap. I. legitur in vulgaris editionibus, *exceptis illis personis*. Pro quo vetustissimi codices MSS. monasterij Moysiacensis & Ecclesiæ Albiensis habent *excepto illas personas*.

INDICULO] Sic tum vulgò vocabant diploma Principis quod in præsens dabatur. *Vne lettre de cachet*. Bonifacius Moguntinus epistola CIV. ad Pippinum Regem: *Quidam servus Ecclesiæ nostræ veniens ad nos cum indiculo vestro &c.* Vide Notas ad librum Agobardi de insolentia Judæorum.

SCUTIS ET FUSTIB.] Vide lib. II. legis Longobard. tit. LV. cap. XXIX.

SERVUM CHRISTIA.] Vide Notas ad librum Agobardi de insolentia Judæorum.

VOTA AD ARBOR.] Capitulario Karoli magni de partibus Saxonix cap. XX. *Si quis ad fontes aut arbores vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentiliū obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, &c.* Lib. I. Capitular. cap. CXIV. *Item de arboribus vel petris vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus ut iste pessimus usus & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & destruatur*. Vide rursus lib. VII. cap. 236. *Ista statuta sunt post tempora sancti Bonifacij, qui superstitionem illam excindere curavit, ut in libro primo de vita ejus narrat Othlonus Fuldenfis. Quin & ipse Bonifacius in epistola CXXVIII. populos Germanix admonet ut lucorum vel fontium auguria vel phylacteria omnino respuant & abjiciant*. Vide Glossarium Pithæi in verbo *Luminaria*.

Hunc canonem sumpsit Regino ex eodem loco ex quo tria superiora capita acceperat, id est, ex epistola Rhabani ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensis. Et quia Rhabanus illum laudaverat ex Concilio Ancyrano, Regino quoque inde se accepisse profiteretur quem secuti sunt Burchardus & Ivo. Et tamen canon iste non est Concilij Ancyrani, sed haud dubiè cujus-

LIB. II.

dam veteris libri pœnitentialis. Vide præfationem ad epistolam Rhabani ad Heribaldum §. xviii.

c. 364.

Caput istud apud Reginonem sic inscriptum est: *Vnde supra*. Quod ideo positum haud dubiè erat ut hinc intelligerent lectores in capite sequenti agi de eadem materia de qua paulò antè tractatum erat, id est, de maleficiis mulierum. Deinde secutus est Burchardus: qui cùm collectionem suam adornaret, pleraque à Reginone accipiens, deceptus autem falsa inscriptione proximi canonis, qui concilio Ancyrano perperam tribuitur, putavit verba illa *Vnde supra* referenda esse ad Concilium Ancyranum. Ex Burchardo porrò descriperunt Ivo Carnotensis parte xi. cap. 30. & Gratianus 26. q. 5. cap. 12. qui canonem illum se accepisse aiunt ex capite primo Concilij Ancyrani. Verùm rectè admonuit vir istarum rerum peritissimus Antonius Augustinus in libro primo de emendatione Gratiani dialogo xiv. inscriptionem hanc esse falsam, & magnam partem istius capituli reperiri apud Aurelium Augustinum in libro de spiritu & anima cap. xxviii. nimirum quicquid interjacet inter illa verba *quædam scelerata* & ista *cùm Ezechiel*. Si conjecturæ locus erit, omnino puto caput istud sumptum esse ex quodam Regum nostrorum Capitulari hæctenus inedito. Omnino enim sapit modum loquendi illorum temporum. Et solebant istiusmodi Capitula infercire testimoniis & locis sacrorum bibliorum, canonum, & veterum doctorum, ut cuius manifestum est.

c. 365.

STRUMENTA] instrumenta. Præceptum Ludovici Pij pro Ecclesia Parisiensi: *quòd per incuriam & negligentiam custodum ipsius Ecclesie strumenta cartarum exusta vel concremata sive perditæ fuissent*. Et infra: *Mancipia quæ per præfata strumenta cartarum eidem tradita fuerant Ecclesie*. Præceptum Ludovici Transmarini pro Ecclesia Augustodunensi: *ac si præ manibus universa earundem rerum sive cartarum strumenta habeantur*.

c. 412.

PER PETRUM] Ambiguum loquendi genus, quo significatur auctoritatem Episcopis à Christo collatam esse in persona Petri, tum etiam Petrum solum accepisse eam potestatem, sed illam postea communicasse cum Episcopis. qua persuasione imbuti fuerunt nonnulli

nonnulli Romani Pontifices. Verus tamen ac genui- LIB. II.
 nus hujus loci sensus est, potestatem suam accepisse
 Episcopos à Christo in persona Petri, qui tum gessit
 totius Ecclesiæ figurata generalitate personam, ut ait
 Augustinus.

DE CONFESSIOE] Verba sunt Reginonis. c. 416.

Caput istud non extat in Capitulis adnuntiatis apud c. 424.
 Valentianas anno DCCC LIII. quæ extant in codice
 Capitularum Karoli Calvi. Legitur autem inter Capi-
 tula quæ statim post conventum apud Valentianas ha-
 bitum statuta sunt apud Silvacum, ubi relecta illa esse
 patet ex præfatione. De negotio porrò isto vide Capi-
 tula Karoli Calvi tit. XIII. cap. 6. & tit. XXXI.
 cap. 31.

JUDICIO DEI] id est, judicio aquæ ferventis c. 426.
 aut frigidæ, vel ferri igniti. Antiquitus, ut observat
 Aventinus lib. IV. annalium Boiorum, istud erat sa-
 pere, fidem Deo habere, omnem spem in ipso collo-
 care. Nunc verò ista inter stultitias & insanias illo-
 rum seculorum referuntur. Unde concludit Aventinus
 solere idem factum, diversis ætatibus, heic pietatis,
 alibi erroris nomen accipere.

AUT REDIMANT] manum nimirum quam
 amissuri erant propter hoc facinus. Suprà cap. CCCXIV.
 istius libri: *Si quis convictus fuerit perjurijs, perdat ma-
 num, aut redimat.* Et cap. CCCXXXIV. *Ceteri verò
 falsi testes manus suas redimant.*

Jam monuimus ad caput LXXV. hujus libri pertur- c. 427.
 batum esse ordinem Capitularium, & in primum li-
 brum conjectum esse caput quod in manu scriptis codi-
 cibus ponitur in quarto, ut etiam citatur à Reginone.
 Idem evenit huic capiti de ponderibus & mensuris,
 quod ex libro tertio Capitularium refertur à Regino-
 ne. Non extat enim in libro primo in codice M S. ex
 quo prima Parisiensis editio prodiit, non in Rivipul-
 lensi, non demum in Colbertino. Utrobique enim le-
 gitur in fine libri tertij. In codice veteri ex quo prima
 Parisiensis editio prodiit, est numero LXXXVII. in
 fine libri tertij, in Rivipullensi verò XCII. in Col-
 bertino demum XC. ut citatur à Reginone.

SINGULOS BIBERES] Vide suprà lib. I. cap. c. 432.
 216.

AD PRIMAM
APPENDICEM.

- c. 1. **E**PISTOLA PESSIMA] Intelligit epistolam quam Aldebertus hæreticus publicabat, quæ verò relecta & damnata est in Concilio Romano sub Zacharia Papa celebrato. Ejus epistolæ hoc initium erat : *Incipit epistola Domini nostri Iesu Christi Filij Dei, quæ in Hierosolyma cecidit; & per Michaël Archangelum ipsa epistola inventa est ad portam Effrem &c.*
- c. 39. Auctor istius appendicis hunc canonem laudat ex *canonibus orientalium antiquorum patrum cap. xx.* id est ex collectione Martini Bracarenfis. Burchardus tamen refert ex epistola Fabiani Papæ ad orientales missa, ubi non extat. Re autem vera est Concilij Neocæsariensis, ex quo illum in suam collectionem transtulit Martinus Bracarenfis.
- c. 40. **QUI SERVILI CONDIT.**] Cùm ista jamdiu desierint poni in libris pontificalibus, in quibus olim in ordine ad celebrandum sacros ordines primò legebatur admonitio quæ certas personas secundùm canones removebat à sacris ordinibus, in primis verò servos, nisi libertatem à dominis suis consecuti essent, visum est in fine istarum Notarum edere fragmentum ex veteri libro pontificali MS. qui nunc extat in bibliotheca regia, ut hinc saltem colligamus veterem morem.
- c. 43. **CRIMINE ADULTERII**] Ita tum vocabant facinus viduarum quæ post susceptum habitum religiosum ad nuptias transferant. De iisdem agit caput *LVI.* istius appendicis & caput *XLVI.* secundæ, ubi viduæ istiusmodi *indubitanter adulteræ esse manifestantur.* Vide porrò illustrem historiam cujusdam viduæ in hoc adulterij genus prolapsæ in Notis nostris ad Agobardum pag. 135.
- c. 44. Canon iste Arausicanus ita habet in tomo primo Conciliorum Galliæ : *Raptorem verò talium &c.* Editio Isidori apud Merlinum : *Ejus verò repudiatorem &c.* Codex MS. Reginonis : *Ejus verò roborem &c.* Ex

NOTÆ AD REGINONEM. 598

quo nos fecimus *robatores*. Robatores antiquitus dicti I. APPENDIX.
 qui rem quampiam per vim auferabant. Et primò quidem, ut rectè adnotat Spelmannus, de iis dicebatur qui viatoribus robas vel raubas tulissent, id est, vestes. Titulo xix. legis Salicæ cap. x. ut quidem citatur à Vossio in libro secundo de vitiis sermonis: *Si quis alterum in via adfallerit, & eundem raubaauerit*. Raubare autem, ut idem adnotat in libro primo, est corruptum ex Latino *rapere*. Itaque sive *raptorem* legamus in hoc capite, sive *robatores*, manet idem sensus. Sed de hoc tamen censuimus admonendos esse lectores.

Caput istud non reperitur inter vulgatos canones c. 50.
 Africanos. Apud Ivonem verò parte vii. cap. 145. & Gratianum 27 q. 1. c. 34. citatur ex epistola Nicolai Papæ ad Karolum Archiepiscopum Moguntinum & suffraganeos ejus. Fieri sanè potest ut ista à Nicolao scripta sint, petita autem ex quodam canone Africano quo, sicut multis aliis, caremus.

Citat hunc locum vir clarissimus Joannes Morinus c. 53.
 in appendice libri de pœnitentia pag. 39. vocatque Decretum in Conofurth. Scilicet vir doctissimus eo deceptus est quòd liber majusculis literis scriptus *infra* habeat in extrema linea, in sequenti verò *conofurth*. quod ille legit *infra Conofurth*. Nemo tamen non videt ultimam syllabam prioris lineæ conjungendâ esse cum primo vocabulo sequentis, adeoque legendum *Franconofurth*. Quid sit autem Franconofurth omnes intelligunt.

NUENDUM] Ita omnino scriptum est in veteri codice. Pro quo videtur legendum esse *Petendum*. Nisi si *nuendum* idem valet.

ADALVVINO] Mirum est quàm longè abierit c. 57.
 nomen Episcopi ad quem scripta est ista Nicolai epistola, tum etiam sedis cui is præsidebat. Apud Burchardum scripta dicitur *Adalvino sanctæ Vivenensis Ecclesiæ Archiepiscopo*. Apud Ivonem parte vii cap. 65. *Adalvino sanctæ Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopo*. in margine verò postremæ editionis *Vivanensis*. & cap. 152. *Alumino Junariensi Episcopo* Apud Gratianum dist. 27. cap. 6. *ad Albinum Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopum*. Quo loco adnotant Correctores Romani valde variare hæc nomina in exemplaribus & apud Burchardum & Ivonem. Veræ ac legitimæ inscriptionis ignoratio ex-

¶ APPENDIX, randi causa fuit eruditissimo Archiepiscopo Tarracoenfi Antonio Augustino. Is enim lib. 11. de emendat. Gratiani dialogo xv 11. Gratianum emendare in hoc loco conatus, existimat Albinum, ad quem epistolam illam Nicolai scriptam esse legebat, eundem esse quem alij Januensem Archiepiscopum, alij Jovanensem Episcopum vocant. Sed ut finis tandem imponatur tantæ discordiæ, constituenda est vera lectio. Scripta igitur fuit epistola ad Adalvvinum Juvavensem Archiepiscopum, ut fidem facit codex MS. Reginonis, tum etiam vetus canonum collector anonymus MS. in bibliotheca regia. Juvavum autem idem esse ac Salzburgum notius est quàm ut testimoniis egeat. Adalvvinum portò tenuisse cathedram Salisburgensem constat ab initio pontificatus Nicolai; & anno DCCC LXX. interfuit Concilio Colonienfi. Viennæ sanè nullus hac tempestate Archiepiscopus fuit Albinus neque Adalvvinus. Ado enim successit Agilmaro anno DCCCLIX. & obiit anno DCCCLXXIV.

NOTÆ

AD RHABANUM.

Petrus Stevartius, qui primus hanc epistolam vulgavit, ita edidit: *Dilecto fratri Heribaldo Alcedronensi antistiti Ab. Rhabanus &c.* haud dubiè quia ita scriptum reperit in vereri codice. Vocem autem illam *Ab.* in margine interpretatur *Abba*. Verùm hæc interpretatio admitti non potest, cùm Rhabanus tum Abbas non esset, sed Archiepiscopus Moguntinus. Itaque vox *Ab.* superflua est in hoc loco, rejiciendâque inter errata librariorum. Ob eam causam nos illam sustulimus.

PITTATIO] Apud Stevartium legitur *petratio*, pro quo ipse reposuit in margine *pittatio*. Neque dubium ullum est quin ita legi debeat. Zacharias Papa in epistola ad Theodorum Episcopum Ticinensem: *Pittacium quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit.* Idem in epistola cxlii. inter Bonifacianas: *Continebant enim capitula in pyctacio ab eis porrecto &c.* Et alibi sæpissime. Propterea, nos retinimus in textu emenda-

tionem quam Stevartius appofuerat in margine. Quis enim nescit etiam vetustiffimorum codicum auctoritate falsiffimas lectiones afferi?

CUNRADI COMITIS] illius haud dubiè qui nobiliffimus dicitur in Capitulis Karoli Calvi tit. x. ubi Sirmundus conjicit eum Judith Reginae fratrem fuisse.

PRINCIPUM NOSTROR.] Lotharij, Ludovici, & c. 4. Karoli. Intelligit autem pugnam Fontiniacensem; ut statim inde colligitur, & Regino docet.

GREGORIUS PAPA] lib. vii epist. 53. ut admonui. c. 10. mus in margine. Integer autem hic locus non habetur in vetustiffimo codice MS. bibliothecæ regiæ neque in antiquis libris MSS. quos vidit Thomas Jamesius. Extat tamen in antiquiffimo libro Pauli Diaconi, qui nunc servatur in bibliotheca monasterij sancti Germani de pratis. Verùm codex ille Rhabano antiquior non est.

ID EST EX REB.] Puto locum illum ita legendum esse: *Sacramentum corporis & sanguinis Domini ex rebus &c.* c. 33.

SANCTIFICATIONEM] In editione Stevartij legitur *sanctificationem [&] salutem*. Haud dubiè studiosus ille qui glossæmatis suis ista turbavit, supra lineam addiderat vocem *salutem*, ut hinc *sanctificationem* explicaret. Nunc nos illam expunximus ut inutilem & superfluam. Idem, ut ego quidem arbitror, paulò post vocem *esse* scripserat super voce *fieri*, ut ista ultima reduceretur ad tempus præsens. Sic enim malebat studiosus ille.

IDEM ESSE QUOD] Lacuna heic erat apud Stevartium, qui eam admonuit extare in MS. exemplari. Nos illam certiffimè supplevimus ex præfatione anonymi à Cellotio editi.

E G I L U M A B B] Prumiensem, qui dein Archiepiscopus fuit Senonensis, ut admonuimus in præfatione. Errant enim qui ista referunt ad tempora Eigilis Abbatis Fuldenfis.

DE EBONIS] Huic Heribaldinæ quæstioni occasio- c. 34. nem præbuit controversia quæ tum in Gallia incaluerat ob Clericos ab Ebbone Remensi Archiepiscopo ordinatos postquam depositus fuerat in synodo habita

apud Theodonis villam. Ratio dubitandi an eorum ordinatio valida esset ex eo petebatur quòd ea peracta esset post dejectionem Ebbonis. Certum enim erat non potuisse illum ordinationes Presbyterorum ac sequentium ordinum peragere si legitimo iudicio dejectus fuisset. Itaque Clerici Remenses, quorum valde intererat ut ista irrita censerentur, aiebant vi factum id esse & Ebbonem juxta decreta sanctorum patrum nullatenus damnari potuisse *in synodo apostolica auctoritate non convocata neque ejus legatione roborata*. Addebant illum tolerasse hoc suum infortunium quandiu Ludovicus Pius, cujus studiis oppressum esse Ebbonem aiebant, superstes fuit, eo verò defuncto restitutum ab Episcopis Gallicanis fuisse in synodo apud Ingelheim congregata auctoritate apostolica & præceptione Lotharij Imperatoris, & ab eodem Lothario seu à præfato Concilio ad sedem propriam remissum fuisse, ibique v i i i. Idus Decembris receptum fuisse ab Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Remensis. Ebbonem postea, non putantem restitutionem suam habere firmitatem nisi apostolicæ sedis auctoritas accederet, Romam profectum esse, ibique à Gregorio I V. plenissimè restitutum, deinceps biennio integro & ultrà omnibus episcopalibus officiis functum in Ecclesia Remensi fuisse, eo porrò tempore ordinos se ab illo electione ministrorum Ecclesiæ & magistrorum acclamatione. Denique hinc firmamentum causæ suæ assumentes quòd cum idem Ebbo impetum atque furorem Karoli Calvi metuens, in cujus ditione constituta erat diœcesis Remensis, ad Ludovicum Germaniæ Regem transisset, & apostolica auctoritate & consensu Episcoporum, dono etiam Ludovici, adeptus fuisset sedem Hildesheimensem, ordinationes ab eo illic patrata nullam reprehensionem habuerant. Contra Hincmarus, qui in loco Ebbonis ordinatus fuerat, contendebat depositionem ejus juxta sacras regulas & traditionem ecclesiasticam ac decreta sedis Romanæ Pontificum, præcipuè verò Leonis magni, recto atque legitimo ordine peractam fuisse secundum suam professionem & subscriptionem à quadraginta tribus Episcopis. notam autem omni mundo fuisse actionem ejus propter quam depositus est. Quibus verbis refer-

lere videbatur eorum audaciam qui dicebant illum per violentiam ejectum esse, quia adversantem sibi habuerat Ludovicum Imperatorem. Addit deinde illum ab apostolica postea sede excommunicatum fuisse, id est, sententiam synodi Gallicanæ adversus eum datam consensu etiam Romani Pontificis fuisse firmatam. Unde & paulò antè negaverat illum auctoritate primæ sedis, id est, apostolicæ, absolutum fuisse; tanquam falsi accularet epistolam Gregorij I V. quam Clerici Remenses proferebant, quam verò falsitatis arguit etiam vetus nota codici Laudunensi adjecta apud Sirmondum in tomo tertio Conciliorum Gallia. Denique epistola illa Gregorij, quæ magna in causam Clericorum ab Ebbone ordinatorum præsidia inducere poterat, ex eo quoque falsitatis argui potest quòd in synodis per ea tempora celebratis adducta non fuit, & anno primùm DCCCXVI. apud Trevas visa est, ut Hincmarus scribit in epistola LVII. ad Anastasium Abbatem. Tum addit: *Qua utrum à Gregorio, cui successit Sergius, data fuerit annon, ex scrinio sanctæ sedis Romana, ut credimus, sciri valebit.* Nam si verè restitutus à Gregorio fuit Ebbo, cur cum Sergius I V. à sacerdotali officio repulit, laica antùm communionem dignatus? Ita enim factum à Sergio produnt gesta pontificalia quæ sub nomine Anastasij circumferuntur apud Hincmarum & in vulgatis Anastasij editionibus, tum etiam nota illa codicis Laudunensis. Quòd itaque Ebbo post damnationem suam ministerium episcopale usurpavit, contra canones factum. *Postea verò, inquit, sine ulla regulari restitutione idem ministerium episcopale, quo se privaverat, contra sacros canones usurpavit. Sed & usque ad terminum vitæ suæ, cum ferè decem & septem annis post damnationem suam vixerit, eandem sedem, qua regulariter se privavit, canonicè non repetiit, nec obtinuit, neque ullum canonica sua restitutionis documentum synodo cuilibet vel principibus terra ac populis, qui eum damnatum fuisse noverant, secundum regulas sacras ostendit.* Refellit deinde eam partem libelli Clericorum Remensium in qua aiebant Ebbonem canonicè restitutum ab Episcopis fuisse cum auctoritate sedis apostolicæ. *Et si quis, inquit, vult dicere eum fuisse regulariter consensu Episcoporum vel sedis*

apostolica restitutum, doceat à quibus & ubi ille consensus restitutionis sit gestus, si secundum Ecclesie regulas celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad primam sedem, cuius intererat, de sententia qua tenebatue obstrictus secundum regulas est relatum, si eadem qua ligavit absolvit. Si hæc ita gesta non sunt, cum nec à Pontificibus legitime & ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nulla seculari potestate potuit præter Ecclesie tramitem prorsus absolvi. Perstringit itaque Præceptum Lotharij, cuius auctoritate visus est Ebbo recepisse sedem suam. Jam quoad ordinationes ab illo peractas in diocesi Hildesheimensi, quas nullis contradictionibus jactatas fuisse aiebant, respondet Hincmarus malis exemplis utendum non esse, & contra omnem auctoritatem factum esse quòd in provincia Moguntina ministrare permissus est. Sed dicitur, inquit Hincmarus in synodo Sueffionensi tertia, usque ad vita sua terminum episcopale ministerium in omnibus ecclesiasticis muniis peregisse. Quæ præsumptio à sanum sapientibus non sumitur in exemplum. Et paulò post: Quia denique in Moguntina provincia ministravit, contra omnem auctoritatem esse cognoscitur.

IN HILTINESHAIM] Vulgò Hildesheim. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi scribit Ebbonem Episcopum Hildesheimensem interfuisse anno DCCCXXXVIII. in consecratione Ecclesie Hirsaugiensis. in quo illum falsum fuisse manifestum est. Nam ex epistola synodica Concilij Tricastini ad Nicolaum Papam, tum ex Hincmaro, denique ex libello Clericorum Remensium, constat illum ad sedem Hildesheimensem transisse post annum tantum DCCCXLIV. cum ablata sibi tum esset omnis spes recuperandæ sedis Remensis. Ex iisdem testimoniis, tum etiam ex isto capite Rhabani, colligitur illum cathedram Hildesheimensem tenuisse reliquo vitæ suæ tempore. Et tamen idem Trithemius scribit Alfridum factum fuisse Episcopum Hildesheimensem anno DCCCXLVII. eamque Ecclesiam rexisse annis viginti & octo. Quare necesse est heic quoque falsum esse Trithemium, cum Ebbo superstes fuerit usque ad annum DCCCLI.



A P P E N D I X
 ACTORUM VETERUM
 QUORUM IN NOTIS
 FACTA MENTIO EST.

I.

Epistola Zachariæ Papæ ad Theodorum
 Episcopum Ticinensem.

Ex veteri codice MS. bibliotheca regia.

ZACHARIAS Episcopus servus servorum
 Dei reverentissimo & sanctissimo fratri Theo-
 doro Episcopo Ecclesiæ Ticinensis. Pittacium
 quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per
 quod nos sciscitari curasti si liceat filium, cujus pater
 alterius filiam ex sacro baptisate susceptam, id est,
 spiritualem ejusdem patris filiam, quod dici crudele
 est, in matrimonio accipere, quod apud te enormiter
 asseruisti contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas
 compertum habet quod Dominus Moyse præcepit di-
 cens: *Turpitudinem patris tui non revelabis, turpitudi-
 nem matris tuæ non revelabis, turpitudinem sororis tuæ
 & turpitudinem filia patris tui non revelabis. Turpitu-
 do enim tua est.* Turpitudinem enim revelari dicitur
 dum à propria consanguinitate præcipimur abstinere.
 Multò magis à spiritali patris nostri filia omni occa-
 sione aut argumento seposito sub nimia distinctione nos

cavere convenit, ne in iram divini examinis incidat si quis tali facinori mixtus minimè restrinxerit frena luxuriæ. Unde & omnes cavendi omnino sunt talis sceleris commixtione, ne in æternum pereant. Sed hos qui hujus perniciosæ temeritatis, animæ suæ salutem despicientes, impio se miscuere matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare & pœnitentiæ dignæ submittere, quatinus ab æterna eruti damnatione, animas eorum lucreris, præstante Domino. De filiis autem qui ex eis nati esse probantur, retulisti si liceat eos conjugio copulari. Sed hi cur prohibeantur à conjugio, aut pro hujusmodi pœnitentiam agere compellantur, dum ex hoc absque condemnatione esse perhibentur, quia non pater pro filio neque filius pro patre sustinebit tormenta, dicente Domino per Prophetam: *Anima patris est mea, & anima filij est mea. Anima qua peccaverit, ipsa morietur.* Sed &, frater carissime, de his dixisse sufficiat. Cave autem ne aliter agere subjectis concedas, ne à recto tramite inveniariis deviare.

Vide tom. VIII. Spicilegij Dacheriani pag. 120.

I I.

Admonitio synodalis antiqua, à Diacono post evangelium legenda, Episcopo & ceteris in ordine sedentibus.

Nunc post varias editiones emendata prodit ex duobus vetustissimis codicibus manuscriptis, uno monasterij Rivipullensis, altero nostro.

FRATRES Presbyteri & sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostri estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari & Ithamaris. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos verò pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino no-

stro Jesu Christo, vos de plebibus vobis commissis. Et ideo, carissimi, videte periculum vestrum. Ammonemus itaque & obsecramus fraternitatem vestram ut quæ vobis suggerimus memoriæ commendatis & opere exercere studeatis.

In primis ammonemus ut vita & conversatio vestra inreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit juxta Ecclesiam, & in domo vestra feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas surgite. Curium vestrum horis certis decantate. Missarum celebrationes religiosè peragite. Corpus & sanguinem Domini cum timore & reverentia sumite. Vasa sacra manibus propriis abluite & extergite. Nullus cantet Missam nisi jejunus. Nullus cantet qui non communicet. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, & casula. Et hæc vestimenta nitida sint, & ad nullos usus alios sint. Nullus in alba qua in suos usus utitur præsumat cantare Missam. Nullus in ligneo vel in vitreo calice audeat Missam cantare. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur nisi capsæ & reliquiæ, aut fortè quatuor evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum infirmis. Cetera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium unusquisque habeat. Locus in secretario aut juxta altare sit præparatus ubi aqua effundi possit quando vasa sacra abluuntur. Et ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ut ibi sacerdos lavet manus post communionem. Ecclesiæ sint bene coopertæ & cameratæ. Et atrium sit sepe munitum. Nullus extra Ecclesiam per domos nec in locis non consecratis Missam cantet. Nullus solus cantet Missam. Omnis Presbyter Clericum habeat vel scolarem qui epistolam vel lectionem legat, & ei ad Missam respondeat, & cum quo psalmos cantet. Infirmos visitate, & eos reconciliate, & juxta Apostolum oleo sancto inungite, & propria manu communicate. Et nullus præsumat tradere communionem laico aut feminæ ad deferendum infirmo. Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis præmium vel munus exigat. Videte ut per negligentiam vestram

nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus vel litigiosus : quia seruum Domini non oportet litigare. Nullus arma ferat in seditione : quia arma nostra debent spiritualia esse. Nullus canum aut avium joci inserviat. Nolite in tabernis bibere Unusquisque vestrum quantum sapit plebi suæ de evangelio vel Apostolo die dominico vel festis diebus annuntiet. Verbum Domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorum habete, & eos ad prandium vestrum invitate Estote hospitales, ut à vobis alij exemplum bonum sumant. Omni die dominico, ante Missam, aquam benedictam facite, unde populus aspergatur. Et ad hoc solum vas habete. Sacra uasa & vestimenta sacerdotalia nolite in vadium dare negotiatori aut tabernario. Nullus vestrum minùs dignè pœnitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuras exigat & conductor sui senioris existat. Res & facultates quas post diem ordinationis vestræ adquiritis, ad Ecclesiam ad quam titulati estis pertinere sciatis. Nullus sine conscientia & consensu nostro Ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem secularium Ecclesiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius Ecclesiam supplantet. Nullus Ecclesiam ad quam titulatus est dimittat, & ad aliam quæstus gratia migret. Nullus plures Ecclesias teneat sine adjutorio aliorum Presbyterorum. Nullatenus una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parrochianum, nisi in itinere, vel si ibi placitum fuerit, ad Missam recipiat. Nullus in alterius parrochia Missam cantet absque proprij Presbyteri voluntate & rogatu. Nullus deciman. ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam faciat. Nullus præsumat baptizare nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes, nisi pro periculo mortis. Unusquisque fontes lapideos habeat. Et si non potest habere lapideos, habeat vas aliud ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parrochianis vestris symbolum & orationem dominicam insinuetis. Jejunium quatuor temporum & rogationum & Letaniæ majoris plebibus vestris omnimodis observandum

insinuate, Feria quarta ante quadragesimam plebem ad confessionem invitate; & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est. Tribus temporibus in anno, id est, in Natale Domini, Pascha, & Pentecosten, omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere ammonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus Presbyter in itinere sine orario vel stola incedat. Nullus vestrum induatur vestibus laicalibus. Nullus rem aut possessionem aut mancipium Ecclesiæ vendere aut commutare aut quocunque ingenio alienare præsumat. Diem dominicum & alias festivitates absque servili opere à vespera in vesperam celebrare docete. Cantus & choros mulierum in atrio Ecclesiæ fieri prohibete. Carmina diabolica quæ super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, & cachinnos quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat Missam cantare. Sed & plebibus vobis commissis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus denuntiate ut nullus uxorem accipiat nisi publicè celebratis nuptiis. Raprum omnimodis prohibete, & ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, & ut alterius sponsam nemo ducat. Porcarios & alios pastores vel dominica die ad Missam facite venire. Patrini filioliis suis symbolum & orationem dominicam insinuent vel insinuari faciant. Chrisma semper sub sera sit aut sub sigillo propter quosdam infideles. Volumus autem scire de quolibet Presbytero si ex ingenuis parentibus sit natus, aut ex servili conditione, aut si de nostra parrochia aut de alia natus est aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si servus fuit, ostendat cartam libertatis. Si de alia parrochia, ostendat litteras commendatitias, quas formatam vocant. De ministerio etiam vobis commissio vos ammonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli & orationem dominicam juxta traditionem orthodoxorum patrum penes se habeat scriptam, & eam pleniter intelligat, & inde prædicando populum sibi commissum sedulò instruat. si non, saltem te-

neat vel credat. Orationes quoque Missarum & præfationes & Canonem bene intelligat. Et si non, saltem distinctè ac memoriter proferre valeat. Epistolam & evangelium bene legere possit; & utinam saltem ad litteram ejus sensum possit manifestare. Psalmorum verba & distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem Athanasij Episcopi de fide sanctæ Trinitatis, cujus initium est *Quicumque vult*, memoriter teneat, & omni die canter. Exorcismos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, aut reliquas preces super masculum & feminam pluraliter & singulariter valeat & sciat distinctè proferre. Similiter ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis. Ordinem quoque reconciliandi juxta modum sibi canonicè reservatum, atque unguendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes bene saltem sciat legere. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum. Similiter exorcismos & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum noverit. Compotum, si non majorem, saltem minorem, id est, epactas, concurrentes, regulares, terminos paschales, & reliquos, si est possibile, sapiat. Martyrologium & Pœnitentiale habeat, ut secundùm quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponat. Libellum istum unusquisque habeat, & frequenter legat, ne oblivioni tradat ea quæ sibi sunt observanda. Volumus autem, fratres carissimi, quatinus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere. Quod ut memoriter retinere & salubriter peragere valeatis, omnipotens Deus vobis concedere dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.



III.

Admonitio synodalis nova, quæ post evangelium legebatur ab Episcopo sedente in faldistorio.

Ex Pontificali Romano Augustini Patricij de Picolominibus Episcopi Pientini.

FRATRES carissimi, consacerdotes & cooperatores nostri. Noverit fraternitas vestra nos, licet indignos, locum tenere Aaron, vos autem Eleazari & Ithamari, nos fungi vice XII. Apostolorum, vos autem LXXII. discipulorum, nos pastores vestros esse, vos autem animarum vobis commissarum, nos de vobis, vos autem de plebibus vobis commendatis Domino nostro Jesu Christo rationem esse reddituros. Igitur ut in die tremendi judicij inter bonos dispensatores inveniamur, admonemus & obsecramus fraternitatem vestram ut vita & conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres non cohabitent. Omni nocte ad nocturnas horas surgite. Officium vestrum horis certis decantate. Missam jejuni tantum, & non in vestibus communibus, sed sacris, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula, vestimentis nitidis, quæ ad alios usus non serviant, parati, devotè & religiosè celebrate, & in ea corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi cum omni reverentia & tremore sumite. Corporalia & pallæ ex lino fieri debent, & sint mundissima; quæ & alia linthea ac vasa sacra propriis manibus abluite & extergite diligenter. Altare sit coopertum mundis lintheis saltem tribus diversis; ad quod nulla mulier accedat. Et desuper nihil ponatur nisi reliquiæ ac res sacræ & pro sacrificio opportunæ. Missalia, gradualia, lectionaria, & antiphonaria vestra sint completa & perfectæ. Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ & mundæ. In sacristiis sive secretariis aut juxta altare majus sit locus aptus ad in-

fundendum aquam ablutionis corporalium & lintheorum, vasorum, & aliarum rerum sacrarum, ac manuum, postquam sanctum chrisma aut oleum catechuminum vel infirmorum tractaveritis. Ibi que pendeat vas cum aqua munda pro lavandis manibus sacerdotum & aliorum qui rem sanctam & officium divinum sunt peracturi, & propè lintheum mundum ad illas abstergendum. Atria Ecclesiæ sint bene munita. Nullus sine scitu & consensu nostro per potestatem secularem Ecclesiam obtineat. Nullus Ecclesiam ad quam intitulus est dimittat, & ad aliam quæstus gratia se transferat. Nullus plures Ecclesias, sine titulo & contra sacrorum canonum dispositiones nancisci præsumat. Nullatenus etiam una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis, aut calcaribus indutus, vel cultellis extra pendentibus, celebret. Nullus alterius parrochianum, nisi itinerantem, & tunc de rectoris sui licentia, ad communionem recipiat. Nullus in alterius parrochia absque proprii sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque calicem & oblata, non circulo, aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis & extensis digitis, cruce signet, sicque benedicat. Calix & patena sint aurei vel argentei, non ærei aut auricalchei, vitrii vel lignei. Quisque Presbyter Clericum habeat vel scolarem qui cum eo psalmos cantet, epistolam, lectionem legat, & in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visite & reconciliet, & juxta Apostolum propria manu communicet, & oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere communionem laico aut femine ad ferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus, sive adultis aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo & adultus sine communiōne pereat. Nullus vestrum sit ebriosus aut litigiosus. Nullus arma ferat. Nullus canum aut avium joci inserviat, seu intabernis bibat. Quisque vestrum quantum sapit de evangelio, dominico & ceteris festis diebus suæ plebi annunciet. Verbum Domini prædicat. Curam pauperum peregrinorum, viduarum, & orphanorum habete, ipsosque peregrinos ad prandium vestrum

vestrum vocare. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum perhibentes. Singulis diebus dominicis ante Missam aquam qua populus aspergatur benedicite. ad quod vas proprium habetote. Vasa sacra & vestimenta sacerdotalia nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare. Minus dignè pœnitentem cujuscunque rei gratia ad reconciliationem non adducite, nec ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nec facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas alienate, quoniam Ecclesiæ sunt. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocunque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam alterius recipiat. Nullus pœnitentem carnem manducare aut vinum bibere invitet nisi pro eo tunc elemosynam fecerit. Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos: quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus parrochianis vestris symbolum & orationem dominicam & jejunia quattuor temporum & alia Ecclesiæ mandata significare observanda. Ante quadragesimam quarta feria populum ad confessionem admonete, & confessis juxta qualitatem criminis pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, omnes fideles accedere ad communionem corporis Domini nostri Jesu Christi invitate, & ne desit quin saltem in Pascha communicent. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortemini. Nullus vestrum rubeis aut viridibus vestibus utatur. Diem dominicam & ceteras festivitates absque opere servili à vespera ad vesperam celebrari docete. Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ fieri prohibete. Incantationes super mortuos nocturnis temporibus à vulgo fieri consuetas sub obtestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare; nec quis vestrum eis vel in eorum præsentia celebrare præsumat. Quod etiam plebi nunciate, & quod nullus ex plebe uxorem domum ducat nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publicè fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnibus prohibete. Porcarios & alios pastores saltem Dominica faciatis voca-

Qg

ri ad Missam. Paternos ut filios suos symbolum & orationem dominicam doceant aut doceri faciant exhortamini. Sacramentum eucharistiæ, sanctum chrisma, & oleum cathecuminum, ac sanctum seu infirmorum in Ecclesia in loco mundo condecanti & securo sub sera & fida custodia diligenter servate. Quisque vestrum expositionem simboli & orationis dominicæ juxta orthodoxorum patrum traditiones penes se habeat, easque, ac orationes Missarum, & epistolas, evangelia, & canonem bene intelligat, ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulo instruat & maximè non bene credentem. Introitum Missæ, orationes, epistolam, graduale, evangelium, symbolum, & cetera non secreta, alta & intelligibili voce proferat. Secreta verò & canonem morosè & distinctè submissa voce legat. Psalmorum verba & distinctiones regulariter cum canticis consuetis intelligibiliter pronunciet. Symbolum Athanasij de Trinitate & fide catholica memoriter teneat. Exorcismos & orationes ad cathecuminos faciendas ac reliquas preces super masculum & feminam pluraliter vel singulariter respectivè distinctè proferat. Ordinem baptizandi & ad succurrendum infirmis, reconciliationis, & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum, juxta modum canonicum observet. Exorcismos & benedictiones salis & aquæ pertinenter legat. Cantum diurnum & nocturnum sciat. Computum etiam minorum ad inveniendum litteram dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ & majorum mobilium, festorum non ignoret. Ut per hæc & alia bona opera unà cum populo vobis credito perpetua beatitudine perfruamini, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum.



I V.

Admonitio synodalis novissima, ab Episcopo
legenda post evangelium.

Ex Pontificali Romano.

FRATRES dilectissimi & sacerdotes Domini.
Cooperatores ordinis nostri estis. Nos, quam-
vis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem lo-
cum Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apo-
stolorum fungimur; vos ad formam septuaginta duo-
rum discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus,
vos autem pastores animarum vobis commissarum.
Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pasto-
ri Domino nostro Jesu Christo, vos de plebibus vobis
commendatis. Et ideo, fratres dilectissimi, videte pe-
riculum vestrum. Admonemus itaque & obsecramus
fraternitatem vestram ut quæ vobis suggerimus, me-
moriam commenderis, & opere exercere studeatis. In-
primis admonemus ut vita & conversatio vestra sit ir-
reprehensibilis. In domibus vestris mulieres non coha-
bitent. Omni nocte ad nocturnas horas surgite. Offi-
cium vestrum horis certis decantate. Nullus nisi jeju-
nus Missam celebret, & non in vestibus communibus,
sed sacris, & nitidis, amictu, alba, cingulo, mani-
pulo, stola, & casula, quæ ad alios usus non serviant.
Missas religiosè celebrate. Corpus & sanguinem Do-
mini nostri Jesu Christi cum omni reverentia & tre-
more sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra
propriis manibus abluite, & extergite diligenter.
Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem
Domini tangat. Altare sit coopertum mundis linteis,
saltem tribus diversis; & desuper nihil ponatur nisi re-
liquiæ ac res sacræ & pro sacrificio opportuna. Missa-
le, Breviarium, & Martyrologium unusquisque ha-
beat. Ecclesiæ vestræ sint bene coopertæ & mundæ. In
sacristiis sive secretariis aut juxta altare majus sit locus
præparatus ad infundendum aquam abluitionis corpo-

Qq ij

ralium & vasorum sacrorum ac manuum postquam sanctum chrisma aut oleum catechumenorum vel infirmorum tractaveritis; ibique pendeat vas cum aqua munda pro lavandis manibus sacerdotum & aliorum qui rem sanctam & officium divinum sunt peracturi, & propè lintheum mundum ad illas abstergendum. Atria Ecclesiæ sint bene munita. Nullus sine scitu & consensu nostro per potestatem secularem Ecclesiam obtineat. Nullus Ecclesiam ad quam intitulatus est dimittat & ad aliam quæstus gratia se transferat. Nullus plures Ecclesias sine titulo & contra sacrorum canonum dispositiones nancisci præsumat. Nullatenus etiam una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus alterius parochianum absque proprii sacerdotis licentia ad communionem recipiat. Nullus in alterius parochia absque proprii sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque calicem & oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis & extensis digitis cruce signet; sicque benedicat. Calix & patena sint aurei vel argentei, non ærei aut aurichalcei, vitrei, vel lignei. Quisque Presbyter Clericum habeat vel scholarem qui cum eo psalmos cantet, epistolam & lectionem legat, & in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet & reconciliet, & juxta Apostolum propria manu communice, oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere communionem laico aut feminae ad deferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus, sive adultis aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis pramium vel munus exigat. Per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo & adultus sine communionem pereat. Nullus vestrum sit ebriosus aut litigiosus. Nullus arma ferat. Nullus canum aut avium jocus inferviat. Nullus in tabernis bibat. Quisque vestrum quantum sapit de evangelio dominico & ceteris festivis diebus suæ plebi annuntiet. Verbum Domini prædicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum, & orphanorum habere; ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Singulis diebus dominicis, ante Missam, aquam qua populus as-

pergatur benedicite : ad quod vas proprium habere. Vala sacra & vestimenta sacerdotalia nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare. Minus dignè pœnitentem .cujuscunque rei gratia ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nec facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas alienate, quoniam Ecclesiæ sunt. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocunque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam alterius recipiat. Nullus pœnitentem carnem manducare aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc elemosynam fecerit. Quisque fontes baptismalés lapideos habeat bene mundos; quos si non habere poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus parochianis vestris symbolum, & orationem dominicam insinuate. Jejunia quatuor temporum & alia Ecclesiæ mandata significare observanda. Ante quadragesimam quarta feria populum ad confessionem invitate, & confessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem corporis Domini nostri Jesu Christi admonete, & ne omittat quin saltem in Pascha communicet. Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus exhortamini. Nullus vestrum rubeis aut viridibus aut laicalibus vestibus utatur. Diem dominicam, & ceteras festivitates absque opere servili à vespera in vesperam celebrari docete. Cantus & choreas mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Incarnationes super mortuos nocturnis horis à vulgo fieri consuetas sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare; nec quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat. quod etiam plebi nuntiate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi priùs nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis publicè fuerint celebratæ. Quòd nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios & alios pastores saltem dominica die faciat venire ad Missam. Patrinos, ut filiolos symbolum & orationem dominicam doceant, aut doceri faciant,

Qq iij

exhortamini. Sacramentum eucharistiæ, sanctum chrisma, & oleum catechumenorum, ac sanctum, seu infirmorum, in Ecclesia, in loco mundo, condecenti, & securo, sub sacra & fida custodia diligenter servate. Quisque vestrum expositionem symboli & orationis dominicæ juxta orthodoxorum patrum traditiones penes se habeat, easque, atque orationes Missarum, & epistolas, evangelia, & canonem bene intelligat, ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulò instruat, & maximè non bene credentem. Introitum Missæ, orationes, epistolam, graduale, evangelium, symbolum, & cetera non secreta, alta & intelligibili voce proferat. Secreta verò & canonem morosè & distinctè submissa voce legat. Psalmorum verba & distinctiones regulariter cum canticis consuetis intelligibiliter pronuntiet. Symbolum sancti Athanasij de Trinitate & fide catholica memoritet teneat. Exorcismos & orationes ad catechumenos faciendos ac reliquas preces super masculum & feminam pluraliter vel singulariter respectivè distinctè proferat. Ordinem baptizandi, & ad succurrendum infirmis, reconciliationis, & commendationis animæ, & in agendis exequiis defunctorum, juxta modum canonicum observet. Exorcismos & benedictiones salis & aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum & nocturnum sciat. Computum etiam minorem ad inveniendum literam dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ & majorum mobilium festorum non ignoret. Volumus autem, fratres dilectissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in secula seculorum.



V.

Ordo ad celebrandum sacros ordines.

Ex veteri codice M S. bibliotheca regia.

Ordo ad celebrandum sacros ordines secundum librum fratris Danielis Carmelitæ Motensis Episcopi.

EPISCOPUS indutis plenis pontificalibus, cum debito ministrorum ordine Missam dicturus, ad altare procedat. Et dicta prima collecta, vocentur ordinandi hujusmodi per se vel per alium. Ad Titulum sanctæ Mariæ de Domo, Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, ordinandi procedant. Et sic fit ad omnes gradus ordinandos. Et sedens super sedem suam legat vel per alium legi faciat prohibitionem istam.

Auctoritate Domini nostri Jesu Christi & Ecclesiæ interdicimus publicè & prohibemus districtè in virtute Patris & Filij & Spiritus sancti, & sub pœna excommunicationis & anathematis, ne aliquis patiens ætatis defectum vel natalium ad sacros ordines ausu temerariò accedere nunc præsumat. Nullus nisi à nobis receptus. Nullus servus, nisi libertati à suo domino restitutus. Nullus per falsas litteras & sine licentia sui Episcopi vel Prælati. Nullus qui contraxit cum aliqua per verba de præsentibus. Nullus apostata. Nullus excommunicatus. Nullus per saltum. Nullus bigamus. Nullus irregularis. Nullus simoniacus. Nullus epilepticus, vel aliquo membro mutilatus, vel corpore enormiter vitiatum, vel aliqua infirmitate incurabili prægravatus. Item quaecumque aliud legitimum habuerit impedimentum, nisi priùs fuerit secum misericorditer dispensatum. Item ne quis ad susceptionem illius ordinis se ingerere præsumat qui non fuerit canonicè examinatus. Et ne uno ordine suscepto, alium sine licentia debita recipere præsumat, & absque fraude quacunque.

Qq iiij

VI.

Vetus confessio pœnitentium.

Ex veteri codice MS. bibliotheca Colbertina.

Incipit confessio pœnitentium.

MULTITUDINEM criminum & enormitatem scelerum meorum expavescens, & de tua pietate atque ineffabili misericordia confidens, tibi creatori & redemptori meo, qui veniam & indulgentiam post reatum per puram & lacrymabilem confessionem assequi promisisti, confiteor quia in peccatis natus, atque in peccatis per omne tempus vitæ meæ cogitando, loquendo, & operando hætenus sum conversatus. Operibus enim ac pompis diaboli, quibus in baptismo abrenuntiaveram, iterum ipso suadente me subdidi, & postmodum turpiter semper & desidiosè vixi.

DE SUPERBIA.

Ac primò omnium de superbia, quæ radix omnium malorum est, mores & vitam atque actus meos pessimè inquinavi, & per superbiam contra Deum & contra religionem ac propositum meum in verbis, in cogitationibus, in operibus, in desideriis, in incessu, & in ceteris omnibus modis, quos enumerare non valeo, graviter me in conspectu Dei deliquisse confiteor.

DE INANI GLORIA.

De inani gloria etiam multis modis me deliquisse & cotidie delinquere confiteor, pro qua assiduè in peccatis meis mundi gloriam & seculares dignitates ac delectationes ultra modum amplector & concupisco, & per eam in ceteris vitiis quæ ex illa nascuntur, id est, in inobedientia mandatorum Dei, & seniorum ac magistrorum jussionibus inobediendo, & in jactantia ani-

num in multis vanitatibus extollendo, & in hypocri-
fi aliud corde retinendo, & aliud ore manifestando,
& in contentione inutiliter contra rationem intenden-
do, & in pertinacia in his quæ non oportet procaciter
persistendo, & in novitatum præsumptionibus novas
& antè inconſuetas res præſumendo, graviter me pec-
caſſe confiteor.

DE INVIDIA.

De invidia verò, per quam diabolus primum ho-
minem decepit, & per quam mors in orbem terrarum
introivit, præ omnibus hominibus reum me & ſclera-
tum eſſe confiteor: quia aliorum bonis invidendo, &
de eorum utilitatibus dolendo, animos sæpe contriſta-
vi, & in quibuſcunque potui, illorum proſperitatibus
nocui. Et ſi nocere non potui, invidioſè tamen tuli.
Et per eam in ceteris vitiis quæ ex illa oriuntur, in
odio, contra multos inimicitias & odia in corde reti-
nendo, & in exultatione, in adverſis proximorum de-
contrarietatibus & impedimentis illorum exultando,
multipliciter me peccaſſe recognoſco & confiteor.

DE IRA.

De ira quoque multociens me peccaſſe & reum eſſe
ſcio & confiteor, quia illatas ab aliis leviter injurias
æquo animo, ut debueram, non ſuſtinui, ſed ad ira-
cundiam & vindictam, in quantum potui, & meum
& aliorum animos provocavi, & per hanc in ceteris
vitiis quæ ex illa oriuntur, id eſt, in rixis ad jurgia
& contentiones non ſolùm me ſed & alios excitando,
& in tumore mentis contra aliorum leviffimas & hu-
miles querelas animum ſuperbè inflammando, & in
contumeliis calumnias aliis inferendo, & in indigna-
tionis de his quibus non oportebat indignando, & in
blaſphemiis multos ſine cauſa iracundiæ blaſphemando,
ſatis graviter in conſpectu Dei me deliquiſſe re-
cognoſco & confiteor.

DE TRISTITIA.

De triſtitia etiam non mediocriter me peccaſſe ſcio

& confiteor; quia inutiliter & sine causa plerunque me contristavi; & cum de peccatis meis tristis & mœrens esse debui, de vanis & nihil utilitatis habentibus rebus tristitiam habui. Et per hanc in ceteris vitiis quæ ex illa nascuntur, id est, in malitia, malam voluntatem contra multos habendo, & in pusillanimitate, vigorem & fortitudinem animi præ tristitia amittendo, & in desperatione, de pietate & misericordia Dei desperando, & in torpore circa Dei præcepta, intentionem ac studium in mandatis Dei non habendo, & in vagatione mentis erga illicita, otiositatem sectando, & rebus illicitis mentem occupando, multotiens me peccasse confiteor.

DE VENTRIS INGLUVIE.

De ventris verò ingluvie satis periculosè & damniliter me peccasse & cotidie me peccare confiteor, quia ultra modum & supra quàm necessitas & indigentia corporalis exposcat, in sumendo cibum & potum ventrem hæctenus ingurgitavi & cotidie ingurgitare non omitto, & unde mihi & aliis multis indigentibus satisfacere potui, solus præ nimia edacitate & ingluvie consumpsi. Et ideo per hanc in ceteris vitiis quæ ex illa oriuntur, id est, in inepta lætitia, de vanitatibus lætando & gaudento, & in scurrilitate, jocis, & risibus studendo & delectando, & in multiloquio, ea quæ ad utilitatem non pertinent multipliciter loquendo, & in hebetudine sensus, mentis intelligentiam præ nimia cibi & potus voracitate amittendo, multum graviter me peccasse confiteor.

DE AVARITIA.

De avaritia etiam gravissimè reum me esse confiteor, quia contra præceptum Dei & habenda nimis concupivi & concupisco, & habita nimis avarè retinui & retineo, & proximorum necessitatibus & indigentis non ita subveni & ministravi sicut debui & potui. Et per hanc in ceteris vitiis quæ ex illa oriuntur, id est, in proditione aliorum, & maximè senioris secreta & occulta prodendo ac manifestando, & in frau-

de, aliorum res furtim auferendo, & in concupiscendo, & in fallaciis mendacia inveniando & proferendo, & in perjuriis, nomen sanctum Dei ac sanctorum illius invocando & perjurando, & in inquietudine, quietum & tranquillum animum non habendo, & in obduratione cordis contra misericordiam, eleemosynarum scilicet largitionem in pauperibus ut debueram & potueram non erogando, satis graviter me peccasse & cotidie peccare confiteor.

DE LUXURIA.

De luxuria quoque ultra omnes homines, & ultra quam mens humana comprehendere possit, me reum esse & sceleratum confiteor; quia postquam ad illam ætatem perveni qua hoc malum perpetrare potui, aut perpetrare volentibus consentire, nimis suadente diabolo turpiter semper & luxuriosè ac sodomiticè vixi, & templum corporis mei de opere iniquitatis & scelere sodomitico, alios ipse maculando, & me commaculare volentibus consentiendo, turpissimè & dictu ipso nefandissimè ut miserrimus & flagitiosissimus inqunavi. Et per hanc in ceteris vitiis quæ ex illa nascuntur, id est, in cœcitate mentis, ea scilicet quæ utilia & necessaria erant non intelligendo, & in inconsideratione, leviter & lasciviosè atque inconsideratè multa faciendo, & in inconstantia, stabilitatem & constantiam in operibus bonis non habendo, & in præcipitatione, præcipitato animo & inconsultè multa operando, & in amore, ultrà quàm debui delectationes & desideria carnis meæ & voluntates proprias quærendo & adimplendo, & in odio Dei, præceptis ejus resistendo, & eum ut Deus diligendus est non diligendo, & in affectu præsentis seculi, amorem videlicet & desiderium in secularibus & carnalibus studiis ultrà quàm oportebat infigendo, & in horrore ac desperatione futuri seculi, de futura scilicet vita non cogitando nec decertando.

Et non solum in his, sed etiam in aliis omnibus quæ hic memorata non sunt, graviter & infelicissimè in conspectu Dei me peccasse & deliquisse confiteor, ac nisi divina mihi misero subveniat misericordia, omni-

modis me cogitatione, locutione, opere, ac voluntate perditum esse scio. Et ideo antè quàm terra cum Dathan & Abiron me absorbeat, & antè quàm ignis cœlestis cum Sodomitis me exurat, ad te Dominum Deum & creatorem meum, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, confugio, & ad te, qui latroni in cruce credenti, & publicano ac meretrici confitentibus pepercisti, veniam & indulgentiam humiliter exposco. Ne confundas, piissime, faciem meam, non derelinquas me in manibus quaerentium animam meam; sed respice propitius & exaudi me miserum & peccatorem clamantem & confugientem ad te. Aperi finum pietatis ac januam misericordiæ tuæ, & resuscita mortuum in peccatis, vivifica sepultum in delictis, & ne abicias quem ad imaginem tuam creare & pretioso filij tui sanguine redimere dignatus es. Tu pœnitentibus veniam promisisti, tu majus gaudium esse in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super nonaginta novem justis asseruisti, tu per sanctum Prophetam tuum nobis promisisti quòd in unaquaque die peccator conversus fuisset, dimittenda ei essent peccata sua. Quapropter sponsones tuas teneo, de promissionibus tuis gaudeo, cum tota spe ac securitate ad immensam clementiam tuam confugio. Parce malis meis, peccatis meis, & sceleribus. Major est misericordia tua quàm miseria mea. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac. Inclina, Deus meus, aures tuas, & audi orationem meam. Aperi oculos tuos, & vide contritionem meam. Quamvis peccator sum, tamen creatura tua sum, unigeniti filij tui sanguine redemptus sum. Non sum tibi vilis ad salvandum qui non fui vilis ad redimendum. Sed miserere propitius & indulge. Per eundem.

A L I A O R A T I O.

O lux mentium Deus, expelle à me stultitiæ noctem, & dona mihi sapientiæ diem. Orire veritatis sol justitiæ, de profundissimis naturæ tuæ sinibus omnem intellectum superantibus appare in ætere animi mei, super terram cordis mei, Extingue phantasias

corporum & phantasmata vanarum cogitationum mearum. Crea prolem intelligentiarum mearum in utero mentis meæ. Effunde spiritum tuum super aquas informitatis meæ, ut conversus ad te, conformis filij tui, videam te per te, & omnia sub te. O tu, purissima veritas, tu vide te in me, tu intellige te in me. Per me ipsum nihil video nisi vana & fluxa & caduca, nihil video nisi falsa & corporea plasmata. Per me nihil sum nisi mors & abyssus tenebrosa & imperfecta. In te sum quantum sum, in te vivo quantum vivo, in te intelligo quantum intelligo. Quia tu es summa intelligentia, essentia summa, vita summa, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unitas triplex, trinitas simplex, infinita in se sine fine, Deus unus, in secula seculorum. Amen.

VII.

Missæ pro tribulatione.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

HORA competente fiant Letaniæ, cantu rei concordante. Deinde Missæ: *Reminiscere miseratium.* Psalmus: *Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, in te confido.*

ORATIO.

Deus, qui contritorum non despicias gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto nostris precibus, quas pro tribulatione effundimus, easque clementer suscipiens, tribue ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigantur, ut nullis insectationibus læsi, sed erepti de omni tribulatione & angustia, læti in Ecclesia tua sancta gratias jugiter referamus. Per Dominum.

Graduale: *Adjutor.* Versus: *Quoniam non.*

LECTIO DANIELIS PROPHETÆ.

In diebus illis oravit Daniel dicens : Domine Deus, ne despicias populum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum & Isaac servum tuum & Israël sanctum tuum, quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cœli & sicut arenam quæ est in littore maris. Quia, Domine, imminuti sumus plus quàm omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra; & non est in tempore hoc Princeps & Propheta & Dux, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus -----
Cetera desunt.

VIII.

Litteræ Jonæ Episcopi Augustodunensis de
dote & consecratione Ecclesiæ Montis
Buznini.

Ex veteri Chartulario Ecclesiæ Augustodunensis.

IN nomine Domini & salvatoris nostri Jesu Christi. Jonas præveniente divina misericordia Augustodunensis Episcopus. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris quia venerabilis vir Reimbodo cum filio suo, cujus vocabulum est Lifericus, tactus divina clementia, cum consultu prædecessoris nostri Althei Episcopi Capellam in pago Augustudunense, in vicaria Istotrense, in loco qui dicitur Montem Buzninum, ex propriis rebus ædificantes, atque ad perfectum usque perducentes, deprecati sunt nostram benivolentiam qualiter eandem Capellam, eorum opere constructam, ecclesiastico ordine ad persolvendum jugiter divinum officium sollempniter consecraremus. Nos ergo benivolam eorum

intentionem & humillimam petitionem considerantes, legibus canonicis dotem requirere procuravimus, unde dignè domus Dei sustentaretur. Quod devotissima voluntate juxta nostri hortaminis constitutum adimplentes, pro Dei amore & sanctorum ipsius veneratione de rebus proprietatis suæ, secundum quod ratio dictabat, eidem loco nobiliter contulerunt, sicut inferiora demonstrant. Quorum rationabili & laudabili petitione percepta, ecclesiastico ordine consecrare in opus Dei omnipotentis censuimus, atque in honore & veneratione sancti Sebastiani martyris & ceterorum sanctorum, Idibus Octobris Deo auctore sollemni officio dedicavimus. Ego itaque Ragamboto, cum filio meo Hilferico, juxta consilium & considerationem Domni & venerabilis jamdicti Jonæ Episcopi præfatam Capellam pro amore Dei & animæ nostræ remedio rebus proprietatis nostræ dotamus atque in perpetuo dotatam esse volumus. Quamobrem ad usus & ministerium præfatæ basilicæ, quam pro Dei amore construximus & consecrare rogavimus, donamus atque in perpetuo do esse volumus, hoc est, in circuitu basilicæ, ante introitum ipsius, campum ad unum modium qui est subter fossatum, pertingentem usque ad mortuam guttam, & ad partem orientalem terram arabilem cum prato & superposito ad modios v. salvato atrio ipsius Ecclesiæ. Similiter mansum quem Bernoinus tenet, cum jamdicto servo & conjugē sua vocabulo Bertildis ac prole eorum, cum omnibus suis terminationibus, donamus in integrum, & alium mansum in ipso pago vel in ipso agro in villa nuncupante Villaris, quem de Altmaro per titulum venditionis Hilferico avo nostro conquirere nobis obvenit, cum ancilla nomine Leobertane & prole ejus, pari ratione eidem loco cedimus cum omnibus adjacentiis suis & supraposito, & quicquid ad eum aspicit, aut aspicere videtur. Cedimus etiam & pratum ad honorem præfatæ Capellæ de Abulmaro conquistum. Hæc omnia superius nominata in honorem Dei omnipotentis & veneratione sanctorum ejus, quorum memoria & virtus ibi recolitur, ad usus & supplementum jam sæpius nominatæ basilicæ cedimus, atque de jure nostro in jure & proprietate ipsius & rectorum

ejus transfundimus, & perpetualiter deservitura concedimus. Et ut ab omni dominatione temporali ac infestatione heredum omni tempore libera & quieta in Domini servitium valeat permanere; perfecta & plenissima voluntate tam Capellam quam & res ad ipsam aspicientes matri Ecclesie sancti Nazarij & rectorum ipsius contradimus, & jure ecclesiastico subjectam atque aternaliter mancipatam esse decernimus; ita ut in omni ordinatione & dominatione faciat inde Episcopus & ministri ejus legibus ecclesiasticis veluti de aliis rebus eidem matri Ecclesie collatis. Ea videlicet conditione, ut dum nos vel unus legalium heredum propinquior superstites apparuerimus, non tam jure dominationis & hereditatis quam defensionis & protectionis in mundeburdum omni tempore vite nostre habere valeamus, persolventes partibus sancti Nazarij ipso die cœnæ Domini, quando chrisma conficitur, libram ceræ annis singulis. Dum verò nos aut quilibet ex successoribus heredum nostrorum præfatam Capellam cum omni integritate rerum suarum ad honorem Ecclesie possidendo conservaverit, & custodiendo possederit, censumque synodalem partibus sancti Nazarij tempore fixo persolverit, nulla sit licentia Episcopo aliqua fortè stomachatione vel cupiditate commoto jus hereditatis nostre vel successorum nostrorum alienare, aut in suos usus retorquere, aut perturbare. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi aut quilibet ex heredibus nostris, vel ulla emissâ persona, contra hanc nostræ donationis dotationem tergiversando aliquam calumniam generare domui Dei & inferre voluerit, vel ejusdem Ecclesie res dividere, aut in suo diabolica cupiditate inflammatus retorquere tentaverit, aut de suprascripto censu tardus aut negligens apparuerit, tunc legaliter reddere cogatur; vel si noluerit, partibus matris Ecclesie, aut cui litem intenderit, auri libram unâ cum cogenti fisco exsolvere compellatur, & insuper quod repetit, nullum obtineat effectum, cum stipulatione subnexa. Et ut hæc donationis & dotationis nostre cartula, quam promptissimis animis matri Ecclesie sancti Nazarij contradidimus, plenissimam & perfectam atque inconvulsam omnibus temporibus obtineat firmitatem,

tatem, non solum manu nostra subterfirmavimus, sed & religiosorum ejusdem Canonicorum seu nobilium fidelium laicorum manibus corroborandam tradidimus.

I X.

Epistola Lamberti Episcopi Cenomanensis ad
Hildebrandum Episcopum Sagiensem.

Ex veteri codice MS. bibliotheca Colbertina.

SACRIS semper meritis venerando Hildebrando Pontifici magnifico Lambertus nullis meritis Episcopus æternam in Domino felicitatem. Notum facimus vestræ paternitati qualiter quidam erroneæ factionis detestabilis, nomine Raino, nonam & decimam Ecclesiæ nostræ temerario ausu retinere & fraudare præsumit. Super quibus ausibus & factis atrocibus non solum semel & bis sed & frequenter à nobis & à nostra Ecclesia eum constat esse ammonitum. Sed nec ammonitionibus parere nec Ecclesiæ nostræ satisfacere ullo modo voluit. Unde nos ex divina auctoritate cum sanctis & gloriosis martyribus Gervasio & Protasio & omnibus sanctis prædictum sacrilegum Rainonem cum omni domo suo ab Ecclesiæ liminibus & cœtu Christianorum excommunicatum & anathematizatum habemus, donec ab his nefandis actibus conquiescat, & Ecclesiæ nostræ satisfaciatur. Unde his nostræ parvitas litteris vestram beatitudinem ammonere præsumimus, ut sicut à nobis est generaliter excommunicatus, ita & à vobis & ab omni Ecclesia vestra seclusus & excommunicatus habeatur. Modum autem excommunicationis, qualiter inditus, vestram nullatenus carere credo paternitatem. Opto sanctitatem vestram prosperis successibus in Christo semper valere.

* * *

R r

X.

Testamentum Riculfi Episcopi Helenensis.

Ex Chartulario Ecclesie Helenensis.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Verbi incarnati DCCCXV. Indictione III. Riculfus Dei gratia sedis Elenensis Episcopus donator ad domum sanctæ Eulaliæ virginis & martyra Christi matrem Ecclesiarum Russilionensium sive Confluentium necnon Valle Aspiri, successorésque mei ibidem Domino militantes. Ideo dono ego Riculfus gratia Dei Elenensis sedis Episcopus præfatæ Ecclesiæ vestimentis sacris quæ adquisivi, & libris, seu & calices, cum patenis & rebus quæ in cultu Dei pertinent, quorum per nomina vocabula illorum. id est, cruces duas aureas cum gemmis preciosis, capsam eburneam unam, calices argenteos, unum cum auro cum patena, & alium sine patena, & alium calicem quotidianum, Sion argenteum optimum unum, incensarios II. cum cathenis argenteis, candelabros cum argento quatuor, conchas æreas II. ad chrisma conficere urceolo I. cum aquamabile, ansatum æreum I. ad aqua benedicta, serindos paria I. ad vestimenta sacra salvandum, pectenem eburneam unam, tabulas eburneas duas, caligas & sandalias paria duo, amictos cum auro quatuor, albas quinque, tres claras, & planas duas, roquos quatuor, unum purpureum cum auro, & alium palleum Græco, & alios duos in Græcia factos, zonas quinque, una cum auro & gemmis pretiosis, & alias quatuor cum auro, stolas quatuor cum auro, una ex illis cum tintinnabulis, & manipulos sex cum auro, unum sex iis cum tintinnabulis, casulas episcopales optimas tres, unam dioprasiam, & alias duas de oredonas, anulum aureum unum cum gemmis pretiosis, & vuantos paria unum, camisas ad Textum & Missalem quatuor, unum cum auro purpureum, & alios palleos corporales quatuor, palleos quatuor, è brofdo unum, dalmaticas tres, ca-

ACTORUM VETERUM. 627

pas duas, una purpurea, & alia bition, toalias olicias
 duas, una cum argento vel clavellos spaniscos duos,
 altare argenteum unum, facistergio uno, cessori pallio
 uno. Librorum quoque numerum per vocabula ipso-
 rum. id est, Textum evangeliorum unum, Missales
 tres, unum quoque Missale & Lectionarium in uno
 volumine, alium verò Missale cum Antiphonario in
 uno volumine, Smaragdum unum, Traditiones evan-
 gelij & epistolas libros duos, librum Rabanum unum,
 Expositum in evangelium & epistolas, Eptaticum
 unum, Expositum super Genesis librum unum, libro
 Salomon uno, libro Machabæorum uno, librum Job,
 & Tobia, & duodecim Prophetas minores in uno vo-
 lumine, libro uno Tobia, Judith, Esther in uno vo-
 lumine libro uno, Martyrologium optimum unum,
 Psalterium unum, Canones duos, quaterniones de ca-
 nones, librum Augustinum unum contra quinque hæ-
 reses, Orationarios libros duos, Cyclum unum, Sen-
 tentiarum de diversis causis librum unum, libros le-
 gis duos, unum Romanum, alium Gothorum, qua-
 terniones optimos super Genesis & Regum & Macha-
 bæorum & Prophetarum luculentissimè expositum in
 uno volumine, ad Ecclesiam consecrandam quater-
 niones duos, ad visitandum infirmum quaterniones
 duos, ad ordinationes ecclesiasticos quaternione uno,
 Medicinale unum. De his itaque rebus, & de aliis per
 testamentum, quod detestatum habeo, dono præfatæ
 Ecclesiæ sanctæ Eulaliæ in Comitatu Ruffilionensium
 five Confluentium atque Valle Aspiri, quicquid in iis
 locis adquisivi, aut auxiliante Deo acquirere potue-
 ro, tam ex comparatione quàm ex commutatione &c.
 --- Facta scriptura donationis istæ v. Idus Decem-
 bris anno xviii. regnante Karolo Rege filio Lu-
 dici.

*Error in annis regni Karoli. Legendum itaque xxiii.
 pro xviii.*



R r ij

X I.

Manumissio Constantiæ.

Ex Chartulario monasterij Vsercensis.

QUI debitum sibi nexum relaxat servitutis, retributorem Dominum in futuro iudicio pro mercede tua sibi esse sciat. Ob hoc igitur ego infra denominatus Rainardus considerans casum fragilitatis meæ, ideo absolvo quandam vernaculam meam nomine Constantiam, pro amore Dei, & pro remedio animæ meæ, & pro remedio animæ patris mei & matris meæ, de omni iugo servitutis, ut post hunc diem in quatuor angulis terræ licentiam & potestatem habeat faciendi qualemcunque seniore eligere voluerit in omnibus, & sibi ambulet, & sibi vivat, & libera & absoluta maneat omnibus diebus vitæ suæ. Sanè si quis, ego ipse, aut ullus ex heredibus vel propinquis meis, aut ulla aliqua immissa persona, contra hanc absolutionem ullam calumniam generare præsumpserit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat & sanctorum omnium, simulque cum Dathan & Abiron in inferno participationem habeat, & absolutio ista firma & stabilis permaneat omni tempore. Facta absolutio ista in mense Martio, regnante Karolo Rege. S. Rainardi, qui absolutionem istam fieri vel affirmare rogavit.

X I I.

Testamentum Domni Ademari Vicecomitis
Scalarum & Abbatis Tutelensis.

Ex Chartulario Ecclesie Tutelensis.

Nonnulla desunt in initio.

IN primis ergo relinquo & reddo sancto Martino & monachis in antedicto monasterio sibi servienti-

bus abbatiam veterem, quæ, sicut jam dictum est, à proavo patris mei mihi successerat, Ecclesiam scilicet sancti Juliani juxta idem monasterium constructam, Ecclesiam sancti Petri de castro ipsius villæ, Ecclesiam sancti Martini de Laguena, Ecclesiam sanctæ Fortunatæ, Ecclesiam Mariæ de Lagarda, Ecclesiam sancti Amantij, Ecclesiam sancti Boniti del Verni, Ecclesiam sancti Marcialis Faurcensis, Ecclesiam sancti Boniti de Avalosa, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Selliaco, Ecclesiam sancti Juliani de Porcaria, Ecclesiam sancti Laurentij de Gorfa, cum ipsis curtis, cum villis, cum pratis, cum silvis, & cum omnibus quæ ad ipsam abbatiam pertinebant. Hæc omnia cum injustè nec sine crimine possiderem, Deo & sanctis ejus satisfaciens sponte reliqui: Ut verò misericors & omnipotens Deus & mihi & omnibus meis parentibus præsentibus, præteritis, & futuris, tam istius quàm reliquarum veniam conferre dignetur culparum, & ut præfatus sacer locus in suum ad integrum restitui possit statum, de proprio jure optima quæque atque cariora eidem decrevi deleganda, cum legitimum utique non haberem filium. Ex quibus primum omnium est Scalas castrum meum, cum omni castania, & cum universis fevalibus, & cum Ecclesiis, & cum curte mea de Cannaco, cum villis circumquaque sitis, & cum curtis, & cum silvis, & cum aquis, cum ingressibus & exitibus omnibus, servis quoque & ancillis. Vicariam quoque Navensem, & vicariam Spaniacensem, & totum quod habeo in vicaria Beennatensi, & Ecclesiam sancti Pardulfi, & Placiacum, & Ecclesiam de Acuto monte, & Ecclesiam sancti Martini quæ est inter Dufstrem & Dordonia, & Ecclesiam de Albuciaco cum mansis & cum vineis de Murell, & castrum meum Mulfedonum cum omni ipsius castania & cum Ecclesia sancti Martini subter eum posita. Et in vicaria Argentadense curtem meam Longor, cum vineis de Cortoiolo, & paxerias, pratis, campis, & villam meam Grandem campum. Et alodum quem pater meus adquisivit de Comite Raimundo * in vicaria Spaniacensi seu Faurcensi, & Mar-

* *Supra li-
neam de Per-
teus.*

villam quæ vocatur Marcus cum vineis & omnibus nihilominus ad se pertinentibus, & in ipsa vicaria mansum meum ubi Eliseus visus est manere, cum vineis, cum pratis, & omnibus ad se pertinentibus, & villam quæ dicitur Clarafaga, & Biareni, & villam quæ vocatur Vallis, & villam quæ dicitur Grandisrivus & villam quæ vocatur Betelanita, & villam quæ dicitur Bedenas, & Capellam quæ Novavilla dicitur, cum ipsa curte, & totum quod ad ipsam curtem pertinet, & unum mansum in villa de Confulento, & villam quæ dicitur Colia in vicaria Spaniacensi, & Ecclesiam de Branceliis, & Ecclesiam sancti Juliani de Garriga, & unum mansum in vicaria Tornensi in villa Montilio dicta, quæ omnia in comitatu Lemovicensi sunt sita, dono sancto Martino & monachis ejus Tutelensibus. In comitatu verò Caturcensi similiter post mortem meam & Gauzberti fratris mei & Gauzlæ uxoris meæ dono sancto Martino & monachis in monasterio Tutelensi sibi servientibus castrum meum Foliosum, quod est in vicaria Casiliacensi, & curtem meam Vairiacum, cum Ecclesia sancti Stephani quæ olim vocata est sancti Boicij, & Ecclesiam sancti Martini, seu Ecclesiam sancti Germani, necnon & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Macerias, & Cambonem, cum vineam de Faga, & quatuor mansos de Ampulliaco, & plantadam meam quæ est juxta sanctum Michaëlem, & cum vineis de Celsiaco, cum villis & silvis, cum aquis, cum exitibus & ingressibus, cum servis & ancillis & cum liberis, & cum omnibus ad ipsum castrum vel ad ipsam curtem pertinentibus, Castrum etiam bellum, & Ecclesiam de Caleffo, & mansos de Cambonanc, & Mairacum, & Buxarias, & Matronam, & Vichirac, atque Vogaironum, & Longorem, cum ipsis vineis de Cortoiolo, cum vitis ad piscandum, & Croissiam curtem meam cum Ecclesia & cum omnibus appendiciis ejus, & Ecclesiam de Mairinaco, & Pardinis, & Becedam, & Ecclesiam sancti Medardi, & Cloiols, & fossam Amalgerij, & villam quæ dicitur Vilaris, & aliam villam quæ dicitur Mons Joviniani, & Vedrivineas, & mansos de Juliaco, sita in prædicto comitatu Caturcensi, nihilominus sancto Martino dimitto & Ecclesiæ Tutelensi.

Hoc quoque sciendum, quia in bosco de Borma de curte de Vairiaco concessa est ad fevum pars quadam Vicariis à Borma cognomen trahentibus ad ædificandum tantum præsidium propter tuitionem atque defensionem rerum sancti Martini circumquaque existentium, non ad aliquod quasi jus proprium ibi sibi vindicandum, cum Ecclesia sancti Petri de Borma similiter cognominata & quibusdam rebus ad ipsam pertinentibus, & quicquid habent in riparia & in aqua machinas aptas piscium captionibus.

Hæc igitur omnia, tam scilicet hæcenus injustè possessa, quàm jure hereditario ad me pertinentia, ego Ademarum reliqui sive donavi sancto Martino & servientibus sibi monachis pro salute animæ meæ, & uxoris meæ Gauzlæ, patris & matris meæ, & omnium propinquorum & amicorum meorum tam in hoc seculo adhuc degentium quàm etiam ab hoc jam migratorum, præterea pro Rege nostro Rodulfo, atque seniore nostro Ebalo Comite*, quibus concedentibus * de Perteus. hæc omnia perfecimus, postremò specialiter pro illis qui prædicti loci atque habitatorum ipsius tutores & defensores fuerint. Ipse quoque ego Ademarum Vicecomes sentiens mihi appropinquare terminum præsentis vitæ, videns etiam me legitimum non habere filium cui jure meas amplas dimitterem possessiones, Deo aspirante cœpi tractare qualiter rebus quibus temporaliter usus fueram in præsentem seculo, æternaliter uti possem in futuro. Quod taliter mihi eventurum indubiè confido, si quod temporali heredi dimittere nequeo, sanctæ Ecclesiæ, Christi videlicet sponsæ, reliquero; ut cum ipse judex vivorum & mortuorum ad judicandum venerit, pro temporali suæ sponsæ sustentatione æterna me donare dignetur mercede. Hac igitur de causa dimitto Deo & sanctæ ejus Ecclesiæ, pro salute animæ meæ, sicut jam supra dictum est, & pro animabus omnium propinquorum & amicorum meorum sive seniorum, ipsorum quoque qui hujus mei scripti defensores fuerint, hæc universa quæ subter habentur descripta. Ex his sunt, post rebus superius descriptis, curtis mea Tauriacus cum ipsa Ecclesia, & quod habeo in Molle, & terras meas de Bulciaco, quæ sunt de Vairaco, & quodcunque in

Gintraco & in Salle, quod de Sigiberto sacerdote conquistavi, & villa mea Maisir, & mansus meus ubi manet Adalrandus in Laustanicas, curtis etiam mea Madriniacus & Pariacus cum ipsis Ecclesiis, & Vernias, & Mespelium, & Cassanias, & Potentins, & Coozono, & Prefangas, & villa mea Caminus cum Ecclesia, & Laus, & unam vineam in Rosniaco, alodus quoque meus Blaviniacus, & mansi duo in Nanti-liaco, & vinea in Pardinas quæ fuit Donadei, & quod habeo in Altudere & in Dezenato, & plantadam meam ad Pogium, cum ipsis capmansis, & cum vinea quam de Arnaldo adquisivi, necnon & Ecclesiam sancti Albini, & Taurins, & Cassanias, & unus mansus in Laustangas usi visus est manere Berdandus, & mansi qui sunt in Brancato, & vineam meam in Donzenaco, & mansum de Brasce, quem de Roberto comparavi, & vineam de valle Mauriana, & unum mansum in Calzfurno, & unam vineam in Linneriaco, & alodum meum in vicaria Cambolivense, & silvam Malævallis, & villam de Ribaus, cum silvam de Monbrefme, & mansum ubi Ingelbertus manet prope de Vairaco, & unum mansum in Argentado, & Camelarias, & Cuculonia, & Vinzacum, & mansostres in Dauza & Pedania, cum vineam quam Bernardus plantavit, & Valannonus, & Alix.

Hæc quoque inter quosdam meos relinquo propinquos & amicos, hoc est, Floriacum & Montelium, & vineam meam Scopiac, & vineæ meæ in Detnato & Damella, & mansi mei de Angulo & Taraiafa, & unum mansum in Spaniaco, & unam vineam in Blandina, & alodum meum de Montaniaco, cum vineis quas de Vvitardo adquisivi, & unam vineam in Quincono, & mansum meum de Rete, & alodum in Verniolas, & alodum meum de Scorbinio.

Quamvis igitur ego Ademarus diversis temporibus diversis Ecclesiis & hominibus tam propinquis quam amicis & fidelibus meis multa vel dicto vel scripto fecerim aut mutaverim dona, hoc tamen testamentum & scriptum volo ut ratum & firmum atque immutabile maneat & perseveret in secula. Amen.

Sunt autem monachi in munburdo Regis ad locum salvum faciendum, non ad aliquid persolvendum nisi solas orationes.

Ceterum contestor & adjuro omnes propinquos atque successores meos cunctosque illius cœnobij vicinos tam præsentes quam futuros per tremendum sanctæ Trinitatis nomen & meritum beati Martini & sancti Laudi, qui ibi deportatus est, ut nullus vel monachos vel quoslibet eorum res inquietare aut sub potestate seculari ullo modo redigere præsumat. Quod si qui hereditatem Dei possidere tentaverint, maledicantur per universum orbem terrarum, dicaturque de illis: *Deus meus, pone illos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti, & confundantur in seculum seculi.* Non sint coheredes Christi, nisi resipuerint, sed participes Pharaonis, qui ait: *Dominum nescio, & Israel non dimittam.* Principes verò quibus hæc scriptura præsentata fuerit per judicium vivorum atque mortuorum contestor ut hanc omnimodis defendere studeant, memores quia maledictus est omnis qui transfert terminos, id est, constitutiones, patrum suorum.

Ut autem hæc auctoritas firmior perseveret, senioris nostri Ebali * hanc auctoritate firmari rogamus.

* Comitis de Perteus

- S. Ebali Comitis & Vvillelmi filij ejus.
- S. Ademari, qui hæc fieri rogavit.
- S. Odolrici Vicecomitis de sancto Cirico.
- S. Gauzberti Vicecomitis.
- S. Rotberti.

Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 384.

XIII.

Literæ Rodhmundi Episcopi Augustodunensis
de Capella Centissæ data duobus
Clericis.

Ex veteri Chartulario Ecclesiæ Augustodunensis.

IN nomine Domini Dei æterni & salvatoris nostri
Jesu Christi, Rodhmundus ejusdem propriante

miseratione humilis Eduorum antistes. Omnibus notum facere volumus Dei & sanctæ Ecclesiæ fidelibus presentibus atque futuris quoniam cum apud prædictam urbem resideremus, adierunt conspectum nostrum Prælati ejusdem nostræ Ecclesiæ, Udolmannus Decanus, Radaldus Abbas & Præpositus, & Almarus Archidiaconus, precantes serenitatem nostram, & ostendentes nobis qualiter habebant quandam Capellam, quam consentire volebant duobus fratribus Clericis Girardo & Vvichardo, si tamen nostrum mererentur habere assensum. Quæ siquidem Capella est sita in comitatu Belnensi, in villa Centissa, sacra in honore sancti Germani Confessoris Christi. Unde ad resistendas secularium versutias suam dispositionem nostræ inscriptionis auctoritate corroborari exoptabant. Jussimus itaque hujus nostræ inscriptionis testamentum fieri; cujus auctoritate decernimus & decernendo allegamus ut prædictam sancti Germani Capellam per consensum Canonicorum ejusdem nostri loci prælibati duo Clerici fratres Girardus Canonicus & Vvichardus diebus quibus advixerint teneant, regant, possideant, ea ratione, ut synodalia persolvant debita, & censum quinque solidorum mense Martio usibus Canonicorum inferre non negligant. Ut autem hujus nostræ cessionis largitio plenior in Dei nomine obtineat firmitatem, manibus propriis firmavimus, & fidelibus nostris ad roborandum tradi jussimus. Acta Augustiduno feliciter in Domino. Amen.

Rodmundus sanctæ Eduensis Ecclesiæ peccator Episcopus subscripsi.

Girardus Cardinalis Archidiaconus subscripsi.

Udolmannus humillimus Diaconus subscripsi.

Radaldus Abbas & Præpositus subscripsi.

Gerardus Abbas subscripsi.

Almarus Archidiaconus subscripsi.

Teutho Abbas subscripsi.

Hugo humilis Levita & Præcentor subscripsi.

Arnulfus Abbas subscripsi.

Heldegrimus Archipresbyter subscripsi.

Geraucus Archipresbyter subscripsi.

Vvarnerius Scolasticus subscripsi.

Heriveus subscripsi. Rodmundus subscripsi. Constantius Scolasticus subscripsi. Optadus subscripsi. Boso sacerdos subscripsi. Teotbertus sacerdos subscripsi.

Ego Vuido Levita ad vicem Suavi Cancellarij scripsi & subscripsi.

Data III. Kal. Augusti, Indictione XII. anno primo regnante Lothario Rege.

XIV.

Concordia monachorum Tutelensium & Aureliacensium.

Ex Chartulario Ecclesie Tutelensis.

NOTUM sit omnibus monasteriorum fratribus, videlicet Aureliacensis & Tutelensis, tam presentibus quam futuris, quia invicem habuerunt querimonias Raimundus Aureliacensis Abbas & Bernardus Tutelensis Abbas. Johannes Abbas, qui propinquus beati Geraldii dicitur fuisse, simul utraque Ecclesias tenuit, & quasdam possessiones sui juris, quae sibi à parentibus contigerant, Ecclesiae beati Martini Tutelensis monasterij dedit, scilicet presbyterale ministerium Ecclesiae sancti Amancij de Faurcio, & tres mansos in eadem curte, mansum Geraldii, & mansum Frudini, & mansum Rotgerij, & quindecim debitales porcos in eadem curte, freda regalia quae Johannes habebat annuatim de manu Regis Francorum in Tutelensi castro. Dedit & alios quinque mansos in parrechia de Argentado. Has res superius nominatas dedit Ecclesiae beati Martini & monachis ibidem Deo famulantibus Johannes Abbas, hac quidem conditione, ut unoquoque anno in festivitate beati Geraldii tres libras piperis aut pigmenti Tutelenses fratres Aureliacensibus persolverent. Eo quidem vivente, ut patres nostri soliti sunt referre, reddebatur absque ulla contradictione. Post mortem vero ipsius orta est saepissime lis. Tandem facta est pax hoc modo. Ego

Raimundus Aureliacensis Abbas, cum consilio fratrum meorum, hoc Tutelensibus fratribus grave fore cognoscens, rogatu illorum atque humili prece, Bernardo Abbati fratri nostro & filio nostræque congregationis monacho suisque successoribus omne annuale censum remitto.

X V.

Excommunicatio Ragenardi Comitis Senonensis, renovata adversus Gauzfridum & Geilonem Canonicos Senonenses.

Ex veteri libro pontificali Ecclesie Senonensis, qui nunc extat penes clarissimum virum Antonium Vionem Herovallium.

IMMENSUS dolor nos urget ad gemitum, ac indicibilis mœstitia commoveret ad fletum, quando illos quos passio Christi à jugo diaboli redemit, & à sordibus peccatorum sacer baptismus purificavit, & Ecclesie catholice corpori sociavit, nunc iterum se ipsos sponte antiquo hosti subdere videmus, & non solum membris Christi persecutionem inferre, sed etiam contra ipsum totius creaturæ auctorem & dominum bellum moliri. Qui enim sacrosanctæ Ecclesie structores atque defensores esse debuerunt, modò venenato diaboli furore vexati, atque ferina rabie concitati, omni timore Domini postposito, & remedio pœnitentiæ neglecto, Ecclesias in Dei honore ac perpetuæ virginis Mariæ sanctique Stephani dicatas lacerare ac sine pastore esse non pertimescunt, violenter usurpantes ea unde sancta debet restaurari Ecclesia. Ammonemus etiam & ammonendo adjuramus ut incorrigibiles, & qui pestiferis & flagitiosis moribus sunt inretiti, sicut à bonis moribus sunt alienati, ita & à consortio fidelium fiant extranei. Igitur cognoscat universalis Ecclesia hostes savissimos & tyrannos improbos, adversarios & persecutores pessimos sanctæ Dei Ecclesie,

Gauzfridum atque Geilonem

Ragenardum & Rodmundum ejus filium, corúmque

Canonicos, præceptorum

commilitones ecclesiasticarum rerum pervasores, Dei contemptores, sanctorum canonum transgressores, pastoris sui contradictores,

quos ab ipso summo pastore Christo, & beatissima ejus matre Maria, atque beato Petro Apostolorum principe, cujus, quamvis indignus, auctoritate & magisterio fungor, nisi citissime se emendaverint & satisfaciendo commissa fideliter restituerint, eos cum omnibus sanctis in cælo meritis viventibus & in terra miraculis fulgentibus obligamus, & à nobis secundum potestatem nostræ pravitati concessam ligandi atque solvendi excommunicamus atque anathematis gladio transfigimus. Deinde excommunicamus G. a. u. z. f. r. i. d. u. m., G. e. i. l. o. n. e. m., Grobertum Diaconem, qui meum injustè usurpat archidiaconatum, Vuangerium, Arricum, postea verò Ansellum, item Ansellum, Hugonem, Ansegisum, Balduinum, Hos & omnes qui postquam archiepiscopalem suscepi benedictionem, sanctum Sennensis Ecclesiæ locum ingredi non permiserunt more antecessorum meorum, desistentes à veritate, adhærentes mendatio, insuper anathematizamus per Patrem & Filium & per Spiritum sanctum & per auctoritatem nobis à Deo concessam, ut nullam Christianorum habeant portionem, Ecclesiámque Dei non ingrediantur, neque Missa eis ab aliquo celebretur, nisi eidem pœnæ voluerit subjacere. Nulla pro eis vel pro illorum offensis, nisi satisfecerint, fiat oblatio vel commemoratio. Non thuris neque incensi, sed neque sacri luminis, carne viventes vel morientes portionem accipiant, sed cum pravis & contra Deum tumentibus sanctósque lacerantibus. Fiat pars & hereditas eorum ignis indeficiens & cruciatus perpetuus. Maledicti sint in civitate, maledicti in agro. Amen. Maledicti sint in domibus, maledicti sint in villis. Amen. Maledicti in saltibus, maledicti in aquis. Amen. Maledicti sint in vicis, maledicti in plateis & in omnibus locis. Amen. Nisi correcti existant, multiplici maledictione induantur, Amen. A nemine sacerdotum in ar-

ticulo mortis visitentur, neque in cimiteriis Christianorum sepeliantur, sed velut cadavera foetida proiciantur. Amen. Maledicta sint horrea eorum, & maledictæ sint reliquiæ illorum. Amen. Maledicti sint ingredientiæ & egredientes. Amen. Percuriet eos Dominus egestate, febre, & frigore, & æstu, & persequatur donec pereant. Amen. Sicut hæc lucerna extinguatur in oculis hominum, sic extinguantur lucernæ eorum in perpetuum. Amen.

N O T A.

EXCOMMUNICATIO ista nuper ex eodem codice ex quo nos descripsimus edita est in tomo decimo Spicilegij Dacheriani pag. 635. Quia tamen factis hæctenus cognitum non fuit quo tempore ea lata sit, quàmve ob causam, cum præterea res sit quæ maximè pertinet ad institutum nostrum, visum est illam hæc recudere cum observationibus nostris.

Anno DCCCCLXXVI. cum Anastasius Senonensis Archiepiscopus obiisset, Ragenardus urbis illius Comes, qui pontificatum in familiam suam inferre cupiebat, novi antistitis electionem turbavit spatio quinque mensium. Tandem Seguinus, filius sororis ejusdem Ragenardi, eo invito electus & consecratus apud Autissiodorum est III. Idus Junij. Venientem deinde eum Senonas Ragenardus aditu urbis prohibuit. *Videns hoc autem ipse Archiepiscopus*, ut ait Clarius in Chronico sancti Petri Vivi Senonensis, *omnem provinciam interdixit à Calendis Octobris usque in caput jejuniij.* Eo igitur tempore facta est ista excommunicatio adversus Ragenardum Comitem & Rodmundum ejus filium, (quem Frotmundum vocat idem Clarius) quia Seguinum, postquam archiepiscopalem benedictionem susceperat, sanctum Sennensis Ecclesiæ locum ingredi non permiserant, ut legitur in excommunicatione.

Post mortem Seguini, quæ anno DCCCCLXXI. contigit XVI. Kal. Novembris, rursus tempestas in Ecclesia Senonensi. Nam cum Frotmundus Comes, qui Ragenardo patri non ita multò antè successerat, Brunonem filium Senonibus dari vellent Episcopum, eodemque tempore plurimi etiam Clericorum,

(ut Clarius ait) id est, Canonicorum, ambitionibus episcopatum appetent, ingens schisma factum est in Ecclesia, quia neque Bruno neque ullus Canonicorum qui episcopari volebant ad eam dignitatem pervenire potuit, eligentium votis in Leothericum Archidiaconum convenientibus. Ea de causa Frotmundus adversus ipsum commotus, ei post consecrationem ad sedem suam accedenti *portas clausit & urbis introitum denegavit*, ut legitur apud Tavellum. Cum ergo eadem tum excommunicandi causa essent quæ Seguinum adegerant ista decernere adversus Ragenardum & Rodmundum ejus filium, placuit uti eadem formula, mutatis nominibus; ita videlicet ut prioris excommunicationis nomina deleta alicubi sint cultelli ope, & in eorum locis supposita eorum nomina qui recenter excommunicabantur, supra lineam tamen ut plurimum. Uno in loco, ubi puncta literis permixta edi curavimus, duorum Canonicorum nomina in contextu orationis reposita sunt, non verò supra lineam.

Ista nos summa cura heic adnotari voluimus, ut utriusque excommunicationis tempora & nomina distinguere possent. Simul autem & diverso caractere cudi fecimus quæcunque addita secundæ excommunicationi sunt; si duo illa vocabula excipias quæ punctis permixta sunt. Quamvis enim pertineant ad secundam excommunicationem, tamen mutari non debuit neque potuit forma literarum illius lineæ. Itaque sermo uno tenore decurrens ad excommunicationem Seguini pertinet. Quæ verò supra lineas addita sunt, & diverso caractere cusa, tum etiam duo vocabula punctis permixta, ea addita sunt tempore Leotherici. Ubi autem nomina excommunicatorum ita deleta sunt ut legi omnino non possint, illic puncta substituvimus pro nominibus excommunicatorum.



XVI.

Literæ Richardi Archiepiscopi Bituricensis de
consecratione Ecclesiæ Vipplensis.

*Ex Chartulario monasterij Capella in diœcesi
Bituricensi cap. xxxvi. & lxxxvi.*

EX parte Dei omnipotentis & Filij & Spiritus sancti & omnium sanctorum. Noscant omnes catholicae Ecclesiæ filij me Richardum Bituricæ sedis Archiepiscopum ad quandam villam meam archiepiscopatus Vippleis nomine devenisse, ut in majori ejusdem villæ Ecclesia, videlicet parochiali, in honore sancti Martini constituta, altare consecrarem & Concilium ibidem facerem. Ut verò Ecclesiam præfatam, in qua altare erat, in manu ministrorum Dei ponerem & à laicorum manibus eripere valerem, altare consecrare vel etiam stolam collo superponere nolui quousque laici qui hujus Ecclesiæ & superioris huic vicinæ oblationum participes extiterant, se amplius nihil accepturos inde in præsentia mea & omnium circumstantium promississent. Quo perpetrato, eandem Ecclesiam & aliam huic adjacentem Deo & sancto Dionysio & Priori Hugoni & monachis de Capella, quibus Radulfus de Paciaco jam dederat hoc quod in eadem Ecclesia tam intus quàm extra habebat, annuente Humbaldo Vriacensi, à quo secundùm laicorum veterem consuetudinem movere Ecclesia dicebatur, & Roggerio Archidiacono & Gosfrido Archipresbytero & ceteris tam Clericis quàm laicis coram quamplurimis circumstantibus, qui consecrationis Conciliiive causa convenerant ex parte Dei & S. Petri S. Stephani & ex nostra auctoritate archiepiscopali virga attribui, & etiam de reliquiis ejusdem Ecclesiæ è puteo eadem die extractis quandam partem quam ad suam deferret Ecclesiam, Priori Hugoni de Capella in memoria hujusdoni ego tradidi, & de nostro proprio sigillo hanc cartam

cartam sigillari præcepi. Hoc factum est in tempore Philippi Regis, vicefimo & nono anno sui regni. S. Richardi Archipræfulis. S. Hunbaldi Vriacensis. S. Amblardi Guillebaldi. S. Rotgerij Archidiaconi. S. Gosfredi Archipresbyteri. S. Andreae Archidiaconi. S. Petri de Giis. S. Radulfi Clerici. S. Rotgerij Capellani. S. Bernardi Clerici. S. Aimerici Clerici. S. Petri lo Grogne. S. Rotgerij Malevizini. S. Aimerici de Guiranda. S. Araldi de la Coldra. S. Radulfi Malevizini. S. Hunbaldi de Agia. S. Dalmacij Chabri, & aliorum plurimorum qui interfuerunt. S. Benedicti sancti Gildasij monachi, qui hanc cartam scripsit.

XVII.

Judicium Aganonis Episcopi Augustodunensis adversus Raginardum.

Ex veteri Chartulario Ecclesie Augustodunensis.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Agano Dei gratia Eduorum Episcopus. Divinæ præceptionis monent cunctos eloquia ut quotiens res ecclesiastica à quoquam detinetur, æquitate debeat imminente restitui. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum unanimis universalitas quia dum in æstivo tempore per Beliniacum transiremus, in nostri itineris transitu obvios habuimus homines potestatis illius vocibus luctuosis coram præsentia nostra conquerentes super Raginardo fratre nostro, qui eos novis & inauditis legibus justificabat, de nimis redditionibus, de magnis exactationibus, quas cotidie exigebat, sed & de malis consuetudinibus quas in diebus suis in potestate elevaverat, angustia multæ, misericordia nulla, & non erat qui adjuvaret, multaque à Clericis nobiscum euntibus de injuriis ab eo de die in diem illatis, de illicitis superpositionibus, seu & diversis oppressionibus à servientibus suis inmissis, nostris intimata sunt auribus. Unde

quia præclarus dies Pentecostes evoluti anni circulo immenebat, illique solemnitati multos obtimates, sed & ferè totius regionis principes apud Augustidunum interesse noveramus, piissimùmque Burgundionum Ducem, Hugonem scilicet, catervatim adfuturum non ignorabamus, dignum duxit nostra paternitas illos clamores interdum patienter differre quousque omnibus ad prædictum diem congregatis, nobisque Donno & religiosissimo patri nostro Roelno sanctæ Cabillonensis sedis Præsuli conjunctis, unà cum ejus pio consilio importabile jugum malitiæ nostra compassione à communi fieret auctoritate levigatum, ut populus Dei nobis ab eo commissus sub nostra protectione lege & justitia & dignitate sibi conservata respiceret, liceretque ei quietè justèque vivere sanctique Nazarij & Clericorum suorum utilitatibus securè & fideliter vacare. Superna igitur largiente pietate corporaliter atque in Dei nomine in prædictæ festivitatis vigilia nostræ humilitati sua se reverentissima sociavit persona. Ille namque priùs pro divini amoris respectu & beatissimi Nazarij martyris veneratione, ejus sacratissimi templi deliberaverat obrata visitare limina, Deique aspirante gratia magnum istius itineris perficiendi nòsque videndi desiderium quia implere meritus fuerat, gaudebat. Et dum ab ejus sacro ore dulcibus rigaremur verborum sitientes fluentis, suisque sacris admonitionibus paterno more instrueremur, ejus sanctitati intimare curavimus ea quæ ad communis profectus augmentum essent, si nostra justis vigoris censura corrigerentur, & ad ejusdem communionis detrimentum pertinerent, si pari negligentia quæ corrigenda erant incorrupta remanerent. Proinde idem clarissimus pater atque beatissimus pastor ea quæ suæ sacræ simplicitati erant incognita per nostrum veridicum cognoscens relatum, nobiscum alto cœpit pertractare consilio qualiter consensu communi obpressiones injustæ & superpositiones illicitæ sua consociali & nostra coëpiscopali ducalique abolitione essent evacuatæ. Nam justum apparuit omnium fidelium nostrorum industriæ ut quia pietate divina tantæ dignitatis personæ, principes videlicet Christianæ militiæ, concordie bonæ voluntatis studio erant unitæ, quicquid impiè re-

etorum pravorum cæca subditis hominibus intulerat cupiditas, adhibita justitiæ linea fieret quantocius correptum, & omnia bona in Dei nomine consequerentur, nostroque felicissimo indulto mansura atque confirmata consisterent. Transactæ autem noctis vigiliis celebratis, illucescente jamdicto Pentecostes die, nobisque ex more post primam dici horam in unum coadunatis, ibi ferme omnis Clericorum prælibati martyris Nazarij conglobata multitudo vocibus vividis nostræ pietatis clementiam sibi flagitavit obnixè affuturam, dicens potestatem Beliniacum legis & justitiæ & pietatis beneficio esse privatam, atque tot oppressio- nibus & superpositionibus à supradicto Raginardo adeo esse affectam ut jam ferre tam diuturnum ac intolerabile non posset malum. Quorum clamoribus in- mensis & miseris nostra commota serenitas, divinum etiam formidantes judicium, si nostra non mitigaren- tur auctoritate, licet in tanta die non secularibus sed divinis officiis vacandum esset, tamen præcepimus ut præfatus Raginardus cum suis, sed & fideles & senio- res nostri, huic negotio interessent, in Capitulum ve- nirent; in quorum præsentia Clericorum querelas pro- misimus nos esse audituros. Quibus illò ventis, etiam nobilissimi vicinarum urbium viri pro hac re nostris sunt accersiti consiliis. Igitur nobis unà cum venerabi- libus Clericis, & cum religioso coëpiscopo, necnon & cum nostris dilectis obrimatibus, in Capitulo san- cti Nazarij residentibus, præente etiam Duce Bur- gundiæ cum suis castoreatis proceribus, Clericorum querelæ in medium sunt prolata iterum atque iterum dicentium præfatum villam & habitatores ejus nimio fasce malarum consuetudinum, assiduitate exactio- num quas semper prælibatus Raginardus exigebat, gravari & penè confundi, quando ex unoquoque manso ab ha- bitatore possesso porcus & agnus, gallina & pullus, fœnum & annona, denarij, necnon & ea quæ neces- saria erant, solebant extorqueri. Ad id enim homines potestatis jam redigebantur, & in tantum de eorum vitæ periculo agebatur, ut omnes clamitarent, sicut vita hominum semper querula est, se ad nimiam pau- pertatem aut prorsus ad omnem exinanitionem sub- stantiæ peventuros; præsertim cum & tyrannica præ-

donum rabies eos sine cessatione affligeret, & à senioribus suis, in quorum beneficiis commanebant, pro simili census redditione gravarentur; sed & peccatis exigentibus tam peste animalium quam sterilitate terræ misera & horribilis usquequaque declamatio ferebatur. Ventilata autem utrorumque causa, & partis utriusque ratione audita, licet omnium unus esset clamor, singulorum tamen clamores nostra volumus discutiendos esse præsentia. Cognita autem rei veritate, quæ consuetudines justæ, & quæ injustæ, tandem invenimus homines sancti Nazarij à nefanda jamdicti Raginardi suorumque obpressione tanta perpressos fuisse mala ut lex & justitia nomine tenus non veraciter in eos teneretur; & non solum justitia facti erant extranei, sed nec in his malis nullus modus contendebatur servari. Deinde quicquid illis injustè à prædicto salvatore cognovimus fuisse superpositum, pro communis lucri mercede absolventes, irritum fecimus, & malas consuetudines, ne amplius redderentur, nostra communi auctoritate prohibuimus; justamque consuetudinem omnibus rite conservandam reddendamque statuentes denominavimus, & si fieri posset ut ex hoc toto, hoc est, & ex justis & ex injustis consuetudinibus, remissionem illis faceret, nos optaremus. Sed quia crebrò dictus frater noster nobis in hoc consentire noluit, longa tandem deliberatione communique consultu, ipsis adclamantibus & expetentibus, unum, quod ponimus, remedium præstitimus; ut summa videlicet illa nimis importabilis minueretur, injustitiæ adnullarentur, & per singulos mansos singulis habitatoribus frequentatos sex denarios & unum obolum duosque avenæ sextarios singulis annis rependerent; atque ita nec potestati nostræ nimia esset profligatio, nec superiùs dicto Raginardo omnis usquequaque videretur destitutio. Paratis autem ferè omnibus hominibus sancti Nazarij jurare istam veram & justam consuetudinem esse, & nec plus nec minùs, nisi quantum dictum est superiùs, eum in potestate habere, juravit Giroardus Decanus & Major domus, unus pro omnibus, in sex denariis cum uno obolo & in duobus avenæ sextariis, ut dictum est, consuetudinem totam contineri, nec magis vel minùs à quoquam sibi debere reddi.

Quo sacramento convictus & confusus Raginardus simul cum suis, quos pro se paraverat, & quid contra hoc diceret non habens, consilio nostro & fratrum suorum occupationes malas, exactiones pravas, & cetera his similia, præter rectam consuetudinem, pro salute animæ suæ parentumque suorum sancto Nazario reliquit, donum libenter fecit, super altare ejus suppliciter posuit, omnem calumniam & quicquid malarum consuetudinum in potestate consueverat relinquens, Clericorum voluntati per omnia consentiens. Dederunt autem ei Clerici sponte sua trecentos denariorum solidos, quia placitum istud bene se servare & fideliter tenere promisit, quia uxorem suam, filios, & successores suos donum istud laudare fecit. Hujus ergo donationis firmitatem ad usus prædictorum Canonicorum mancipatam nostræ auctoritatis scripto confirmamus, atque sub interdictionis excommunicatione, ne quis hoc privilegium violare audeat, pontificali regimine prohibemus; statuentesque decernimus hujus decreti auctoritate ut hoc quod perditum fuerat & redditum nunc possidet Ecclesia, sine cunctatione perpetuis temporibus possidere debeat, & sicut antiquitus fuit, ita in ipsius dominio omni tempore inviolabiliter permaneat. Si quis autem præsumptor temerarius, quod minimè fore credimus, adversus hoc decretum auctoritate nostra munitum recalcitrare fortè tentaverit, primùm quidem ut à cœpta citiùs respiscat injuria eum obtestamur, deinde verò, si noluerit, anathematis vinctulo ligamus, & sathanæ in interitu carnis tradimus. Qui verò custos ejus extiterit, æternis gaudiis perfruatur, & præmiis cum angelis in cælestibus potiatur. Ut autem hujus nostri testamenti cirographum à nemine violetur, robustiùs solidetur, & majori stipulatione stabiliatur, signi nostri cognitione illud subter signanimus, & fidelium nostrorum tam Clericorum quàm laicorum insignium manibus & signis corroborari curavimus. Actum apud Eduam urbem publicè. Hoc autem privilegium factum est in mense Maio, in ipsa die Pentecostes, prima feria, Indictione quinta, Aganone Præsule, Hugone Duce, Philippo Rege, Gregorio universali Pontifice.

Signum A. P. S. R. Cabillonensis Episcopi. S. Hu. Ducis. S. Ho. fratris ejus. S. P. Glananensis. S. V. de Colchis. S. A. de Infula. S. Hu. de Monte sancti Johannis. S. B. de Monteforti. S. G. Bruni. S. Vv. de Archis. S. Vv. Decani. S. Hu. Abbatis. S. S. Præpositi. S. Vv. Archidiaconi. S. N. Præcentoris.

Heldierius commentarius ad vicem Sevini Cancellarij scripsit.

X V I I I.

Literæ Richardi Archiepiscopi Bituricensis de fisco presbyterali Ecclesiæ de Lanatico.

Ex Chartulario monasterij Capella cap. xxxvii.
 & CLXXVII.

Q U O N I A M ea quæ præsentis tempore constituuntur, succedentibus temporibus solent oblivioni tradi, & ex oblivione contentiones oriri, propter sopiendas posterorum altercationes oportet ut facta præsentis temporis litteris tradantur, & sic ad notitiam futurorum transmittantur. Quapropter ego Richardus Ecclesiæ Bituricensis humilis minister notificamus quoniam accedentes ad nostræ sublimitatis præsentiam, videlicet Hunbaldus Uriacensis dominus, & Vvillhelmus Albus, & Galterius frater ejus, supplici devotione in manu nostra reliquerunt presbyteralem fiscum & Ecclesiam de Lanatico, quam ipse Hunbaldus & fiscales sui secundum consuetudines laicorum diù tenuerant, & de hoc quòd injustè possederant, culpabiles se Deo & nobis reddiderunt. Nos verò, quibus est ad honorem Dei Ecclesias ordinare, monasteria amplificare, consilio ministrorum & Clericorum nostrorum, & voluntate & deprecatione Hunbaldi Uriacensis, hanc Ecclesiam cum suo presbyterali fisco reddidimus monasterio Capellæ, quia jus suum fuerat, sicut testificantur authentica privilegia Regum Francorum & Pontificum. Quo factò, fecimus convenire in

præsentiam nostram quatuor legitimos viros ejusdem Ecclesiæ parrochianos, qui erant majores natu totius parrochiæ, scilicet duos ejusdem Presbyteros Dacbertum & Rotgerium, & duos laicos, Leodegarium Vizonem & Aimericum de Porta. Hos nempe quatuor deprecari sumus, & sub anathemate eos conjuravimus, ut discernerent presbyteralem fiscum ab aliis terris. quod & ipsi bono animo fecerunt jussu & consilio Domni Hunbaldi & nostræ auctoritatis. Dixerunt namque & ostenderunt esse de presbyterali fisco omnia prata cum hortis & domibus quæ sunt subtus villam inter duas vias, & terram quæ est à pratis usque ad cursum aquæ, & omnes plateas quæ sunt à porta villæ usque ad plateam Bernardi Balbi, & domum Geraldii Malepelli, & grangem & hortum retro domum ipsius Geraldii, & hortum Bernardi Culicocti, & grangem & aream & domos quæ intra eandem aream continentur usque ad furnum, & domum Martini, & hortum de Lenatico, & domum & aream Archenbaldi Petit, & tres eminadas terræ quæ sunt inter Capellam & Lenaticum in una valle, & sextaradam terræ super Segreie pratum, ubi sabuchus est, & olcham de Lenpaut, & sextaradam terræ ad quadrivium, & olcham subtus quadrivium. Est autem de eodem fisco omnis decima de Monte Vilano, & tota decima de Tristangis, & de Calvello usque ad publicam viam quæ descendit à suspensis, & medietas decimæ de Cocto & de Cortada. Hoc totum quod est ostensum & enumeratum, est de presbyterali fisco. Hæc autem facta ut essent firma & in perpetuum permansura, adjudicavimus cartam fieri & ex nostro proprio sigillo sigillari. Hoc factum est apud Capellam sancti Dionysij in die Ascensionis Domini, tempore Philippi Francorum Regis. S. Richardi Archiepiscopi. S. Hunbaldi Uriacensis. S. Dex uxoris suæ. S. Ugonis Prioris. S. Geraldii monachi. S. Iterij Archidiaconi Burunensis &c.



XIX.

Donum Ecclesiæ de Lenatia datum monasterio de Capella in diœcesi Bituricensi.

Ex Chartulario ejusdem monasterij cap. CIV.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Noverit omnium Christianorum dilectio Hunbaldum Uriacensem Deo & sancto Dionysio & monachis de Capella attribuisse Ecclesiam de Lenatia & fiscum ejusdem Ecclesiæ ita integrè sicut sacerdotes Dacbertus & Rogerius de eadem Ecclesia tenebant, & etiam totum tenorem quem pro Ecclesia habebant, annuentibus Blancis de Domairac, scilicet Amelio Blanco, & fratre suo Guillelmo, & Hunbaldo, & Galterio, & annuentibus illis de Patciaco, & Vvillelmo fratre suo, & Geraldo, qui ex supradictis tenebant Blancis. Quem tenorem, ut melius sciatur, denominatim dicere oportet. Scilicet omnia prata, & terram inter duas vias subter villam usque ad aquam existentia, cum hortis & domibus, & omnes plateas quæ sunt à porta usque ad plateam Rogerij de Trugnac, & grangem & hortum Vizorum, & hortum Johannis de Lenacia, & grangem & aream & domos quæ intra eandem aream continentur usque ad furnum, sicut Rotgerius Capellanus tenebat, & domum Boërelli & hortum, & grangem & aream Stephani de Terail, sicuti continetur illic, & sagnam & terram quæ supra villam est, sicut Rotgerius Prestyter tenebat, & sextariam terræ supra Segrechix pratum, ubi sabuchus est, & olcham quæ est subter cadruvium, & hortum Clavelli. Hoc totum quod enumeratum est, de presbyterali fisco est. Nunc verò dona quæ Ecclesiæ data sunt in elemosyna enumeremus. Eminatam terræ quæ est apud pratum Caprarij, eminatam vineæ ad montem rubeum. Dimidiam eminatam quam dedit sancto Sulpicio mater Araldi de Quadruvio. Tres eminatas terræ in frumental juxta viam. Unam sextaritam terræ

ad Rocam inter duo loca. Unam terræ plateam ad Pirum Molar. Unam sextarata à Prospe inter duo loca. Cartalata terræ ad Boniol. Dimidiam cartalata ad Podium. Testes sunt isti. S. Hunbaldi Uriaensis. S. uxoris illius. S. Ugonis monachi. S. Rotgerij Capellani. S. Amblardi Galdet. S. Johannis de sancto Caprasio. S. Petri de sancto Caprasio. S. Leodegari Vizi de Lenatia. S. Geraldi de Lenatia.

X X.

Concordia de Ecclesia de Casimansi pro monasterio de Capella in diocesi Bituricensi.

Ex Chartulario ejusdem monasterij cap. xxxviii.

Ⓞ x c v i.

MAJORES nostri multa propter vetustatem oblivioni tradita & de rebus suis imminuta videntes, scripturæ testimonio commemoranda esse statuerunt. Unde & nos prudentiæ eorum assentientes, restitutionem Ecclesiæ de Casimansi, quæ facta est ante tempus Richardi Archiepiscopi, qui potentiam laicorum ab Ecclesiis privavit testamento patefieri volumus. Notum sit igitur omnibus quod Hunbaldus de Paciaco & Raibodus de Berra & alij qui hanc supradictam Ecclesiam sibi usurpaverant, sicuti in diebus illis fiebat, rectum sancti Dionysij recognoscen-tes, qui dono Regum Francorum requirebat, prætermissa omni calumnia reddiderunt. Quin etiam prædictus Richardus, qui penitus Ecclesias, uti jam dictum est, de manu laicorum extraxit, sciens istam à Regibus prænominatis sancto Dionyho datam prece, & imperio Alexandri Papæ, sub quo ipse permansit, ex integro monachis de Capella habere permisit. Postea vero, tempore Aldeberti Archiepiscopi, Dacbertus Archiepiscopus de sancto Desiderato, qui eam manu laicorum habebat, videns se non posse detinere nisi gratia Prioris & aliorum monachorum, qui ecclesiastica

sententia recuperaverant, & de potestate calumniatorum eripuerant, absque retinaculo dimisit. Volens autem ipsam ab illis cum amore, dum viveret, habere, impetravit à Radulfo Priore, qui tunc temporis aderat, prece supradicti Archiepiscopi quatinus eam in vita sua consilio suorum illi concederet, retinens tamen partem de redditibus Ecclesiæ propter recognitionem, videlicet VII solidos de feodo presbyterali in Pascha, & in crastina die processionem, & medietatem oblationis in festo sanctæ Mariæ de Augusto, & tertiam partem in festo omnium sanctorum, & in crastina die Natalis Domini similiter, & totum in festo Purificationis præter panes. Hoc autem factum est tali pacto uti post obitum Dacberti monachi Ecclesiam immunem haberent; excepto quòd si aliquis sacerdos in genere suo succederet qui idoneus ad tale officium haberetur, nutu eorundem monachorum Capellanus inde efficeretur, habens eadem quæ Capellani antecedentes habuerunt. Quo pacto idem Dacbertus quandam domum in ipsa villa Ecclesiæ necessariam cum appendiciis ejus monachis post discessum suum contulit habendam, in qua Rotgerius Baratonus duos censuales nummos habebat, quos & ipse Dacbertus in feodo tenebat. Veruntamen jussit quòd si ipsi possent, eodem modo tenerent. Alioquin, reddendo illos, liberam domum haberent. Dedit etiam & quandam vineam in eadem villa. Quapropter Radulfus Prior calicem auri & argenti illi dedit. De hac conventionione tres cartæ factæ sunt; quarum una per cirographum divisa, altera pars Archipresbytero, altera Priori est tradita. præter quam unusquisque aliam integram habuit. Hoc autem est actum apud Capellam tempore Philippi Francorum Regis & Aldeberti Bituricensis Archiepiscopi.



XXI.

Paschalis II. epistola ad Norigaudum Episcopum Augustodunensem.

*Ex veteri Chartulario Ecclesie
Augustodunensis.*

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei dilecto fratri Norigaudo Episcopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Quoniam divini dispensatione judicij ad hujus officij gradum, licèt indigni, promoti sumus ut Apostolorum principis vices in Ecclesie regimine teneamus, elaborandum nobis est & annitendum omnino ut in constituendis ecclesiasticis negotiis ejus monita & institutiones devotione fidelissima & fide devotissima imitemur. Cujus fides præcipua & dilectio spectata Deo extitit adeo ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili pretioso sanguine suo redemptam suam Dei filius statuere & confirmare voluerit Ecclesiam dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit ut ejus arbitrio in cælo & in terra vel liganda solverentur vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem ipse beato Clementi & per eum omnibus concessit qui ejus sedi justè præsidere & Ecclesiam Dei canonica studuerint ordinatione disponere. Cujus nos fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibusque tibi canonicè successoris confirmamus omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam, in qua te canonicè credimus ordinatum, pertinere videntur, tam in Ecclesiis, parrochiis, cimiteriis, Presbyteris, cunctisque ecclesiasticis ordinibus, quàm etiam prædiis aliisque omnibus possessionibus mobilibus & immobilibus quæ acquisita sunt vel justè acquiri poterunt, ut hæc omnia tibi tuisque successoribus ita liberè possidere liceat sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quietè & justè ac possedisse probantur. Illud autem apostoli-

ca auctoritate statuimus, ut nulli Presbytero vel viventi vel morienti seu ad aliam religionem vel ad quietam vitam transeunti liceat res quas à die ordinationis suæ in Ecclesia in qua est ordinatus conquirere poterit, auferre vel minuere; sed intacta ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere. Illos etiam qui à vobis excommunicati, vel ab officiis divinis pro suis fuerint excessibus remoti, ne aliquis in communionem recipere, vel in officiis præsumat restituere, eadem auctoritate prohibemus. Statuimus quoque ut pro sepulturæ quidem loco vel spatio nullum penitus ab aliquo pretium exigatur. Pro redemptione verò peccatorum, morientes in Ecclesia in qua fidei sacramenta acceperunt elemosynam dare secundum apostolica decreta statuimus omnino & confirmamus. Si quis autem ad alia vivens sive moriens se conferre voluerit, de eo quod pro salute animæ suæ dare disposuerit, secundum apostolica decreta matri Ecclesiæ partem relinquat. Si qua sanè ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam præsumptuosè venire tentaverit, hujusmodi, ut sacrilegij reum, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ arcendum judicamus & confirmamus. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Scriptum per manum Johannis Scriniarij sacri Lateranensis palatij.

Ego Paschalis Episcopus catholicæ Ecclesiæ subscripsi.
 Ego Vvalterius indignus Albanensis Ecclesiæ subscripsi.
 Ego Albertus Cardinalis Tituli sanctæ Savinæ subscripsi.
 Ego Bernardus indignus Cardinalis Tituli sancti Grigori subscripsi.
 Ego Albericus Dei gratia humilis Presbyter Tituli Apostolorum ad vincula roborando subscripsi.
 Ego Augustinus indignus Cardinalis de Titulo sanctorum quatuor coronatorum subscripsi.
 Datum Laterani per manum Leonis scriptoris xviii. Kal. Maij, Indictione octava, anno dominicæ incar-

nationis millesimo centesimo, pontificatus autem Domni Paschalis secundi Papæ primo.

X X I I.

Concordia monachorum sancti Bertini in Sithiu cum parrochianis de Calays.

Ex Chartulario monasterij sancti Bertini.

NOVERIT universitas vestra quòd ita convenit inter nos & parrochianos nostros magistros Ecclesiæ de Calays, quòd leprosi ejusdem parrochiæ proprium habebunt sacerdotem, quem de consilio Presbyteri parrochialis & assensu burgensium de Calays ibi instituemus; præstabitque sacramentum quòd fidelis erit Ecclesiæ sancti Bertini & Ecclesiæ parrochiali. Quod ut meliùs facere possit, magistri eorundem leproforum annuos redditus decem librarum ei assignarunt; quibus debet esse contentus, nec aliquid sibi usurpare quod pertineat ad jus parrochiale. Si quis autem iter faciens ad eandem domum causa audiendi Missam diverterit & aliquid obtulerit, hoc non Capellani sed leproforum est. Et si quis parrochianorum de Peterse vel de Calays ibi sæpe ad Missam venerit, ammonitus à Presbytero suo si hoc non emendaverit, publicè excommunicabitur, & hoc quod obtulerit Capellanus leproforum cum juramento Presbytero parrochiali restituet, & eum de cetero non recipiet. A nemine quoque idem Capellanus pretium accipiet ut ei septenarium vel tricenarium aut anniverfarium concedat. Et hoc corporali juramento promittet. Quòd si horum prævaricator vel infamis persona inventus fuerit, eum amovebimus, & alium prædicto modo loco ejus substituemus. In cimiterio itaque leproforum prædictorum nemo nisi leprosus, vel qui cum eis votum sollempne faciens per aliquantum tempus habitum religionis sanus portaverit, poterit sepeliri. De iis quæ infra ambitum habitationis suæ, quæ

circiter sex mensuras terræ continet, coluerint vel nutrierint, decimas solvere non tenebuntur. Actum anno Domini M C C. secundo.

 X X I I I.

Manumissio Nicolai de Marifiaco.

Ex archivo regio Parisiensi.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris quòd nos dilectum nostrum Nicolaum filium Johannis de Marifiaco & Mariæ de Faverolis ipsius uxoris, exhibitorem præsentium, hominem nostrum de corpore existentem, ut tonsuram clericalem obtinere valeat, tenore præsentium manumittimus intuitu pietatis. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Valles Comitissæ anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, mense Junij.

 X X I V.

Formulæ veteres absolutionis pœnitentium.

Ex veteri codice MS. bibliotheca regia.

Absolutio à pœna & à culpa tempore Domini Gregorij undecimi.

DOMINUS noster Jesus Christus per suam misericordiam te absolvat. Et ego te absolvo à vinculis excommunicationis, à participatione excommunicatorum, & ab omnibus sententiis generalibus à jure vel ab homine seu etiam à canone latis, & ab

omnibus transgressionibus, & ab omnibus peccatis tuis de quibus es verè contritus & confessus, vel quæ tibi in memoriam non occurrunt. Dispensò etiam tecum super irregularitate, si quam incurristi immiscendo te divinis qualicunque sententia ligatus, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli & Domini nostri Papæ Bo. & sanctæ matris Ecclesiæ. Et do tibi plenam indulgentiam omnium peccatorum tuorum, quantum Dominus vult & claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Item alia forma absolutionis.

Præmissò *Confiteor & Misereatur*, dicat absolvens:

Et ego auctoritate omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac Domini nostri Papæ &c. tibi præsentem in sinceritate fidei catholicæ corde contrito & ore plenè confesso omnium excommunicationum, suspensionum, & interdictorum, ac irregularitatum inde contractarum, & omnium peccatorum tuorum plenam indulgentiam, quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ se extendunt, & etiam auctoritate mihi commissa, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen.

Item alia forma.

Auctoritate omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & Domini nostri Papæ Bo. & etiam auctoritate qua ego fungor, ego absolvo te à vinculo excommunicationis, si quam incurristi per participationem, vel per levem manuum injectionem, & ab omnibus generalibus sententiis, non tamen per dictum Dominum nostrum Papam Bo. specialiter reservatis, sed generaliter promulgatis sive ab homine sive à jure, & à sententia suspensionis & interdicti. Et dispensò tecum in irregularitate, si quam inde contraxisti, celebrando

656 APR. ACTORUM VETERUM.
divina, vel immiscendo te divinis. Et restituo te sa-
cramentis Ecclesiae & communioni fidelium cum divi-
nis orationibus. Et eadem auctoritate ego absolvo te
ab istis peccatis mihi confessis & ab omnibus aliis de
quibus non recolis, de quibus, dum recolis, confite-
ri proponis, & negligentis tuis, in nomine Patris &
Filij & Spiritus sancti. Amen.



ADDENDA

ADDENDA IN NOTIS.

CERTUM est ministrorum Episcopi vocabulo intelligi Archidiaconos & Archipresbyteros, ut diximus. Sed tamen heic lubet addere testimonium Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis in epistola xxvii. ad Stigandum Episcopum Cistrensem. *Clerici villarum nostrarum*, inquit, *qui in vestra diœcesi existunt, questi nobis sunt quod vestri Archidiaconi repertis occasionibus pecunias ab eis exquirunt & à quibusdam jam acceperunt. Et infra: Mandamus itaque ut male accepta sine dilatione reddi jubeatis, & ministris vestris, ne ulterius id præsumant, servanda caritatis studio prohibeatis.*

Pag. 536.

Ex epistola xxxiiii. ejusdem Lanfranci colligimus etiam illius ævo communionem corporis & sanguinis Domini tribui solitam pueris. Consultus enim super ea re à Domnaldo Hiberniæ Episcopo, ad eum ista rescriptit: *Re vera & procul pulsa omni ambiguitate sciatis neque transmarinas Ecclesias neque nos Anglos hanc de infantibus tenere sententiam quam putatis. Credimus enim generaliter omnes omnibus aetatibus plurimum expedire tam viventes quam morientes dominici corporis & sanguinis perceptione sese munire. Vide Notas clarissimi viri Lucæ Dacherij ad hunc locum.*

Adnotatum est Parlamentum Parisiense decreto suo sustulisse consuetudinem quæ in diœcesi Ambianensi invaluerat ut illis qui noviter matrimonio juncti essent non liceret cum uxoribus suis coïre tribus prioribus noctibus post nuptias, decretum autem illud scriptum fuisse anno MDI. die xi. Martij. Puto autem heic erratum esse à typographo in editione Statutorum synodaliū Stephani Poncherij Episcopi Parisiensis, & decretum illud toto seculo antiquius esse. Nam in veteri collectione Arrestorum Matthæi Chartier Advocati Parisiensis, quam habeo manu scriptam, hæc leguntur: *Le premier jour de Mars 1401. l'Arrest donné contre l'Eveque d'Amiens sur la taxe des Sacremens & autres choses ecclesiastiques. Deinde in alio veteri codice M. S. quem mecum olim*

Pag. 586.

communicavit vir clarissimus Antonius Vion Hero-
valliis ista totidem verbis habentur : L'an mil c c c c.
ix. le XIX. jour de Mars fut dit par Arrest de la
Cour que les deffenses faites à la requeste du Procureur
general & les Maire & Eschevins d'Abbeville en Pon-
tieu, par vertu de certaines Letres Royaux, à l'Evesque
d'Amiens & aux Curez, de ladite ville, c'est a sçavoir
audit Evesque qu'il ne print ny exigast argent des nou-
veaux mariez pour leur donner congé de coucher avec
leurs femmes la premiere, deux, & troisieme nuyts de
leurs nopces, & autres contenues audit Arrest, avoir
esté bonnes & valables, & l'opposition dudit Evesque
avoir esté donnée sans excepte au regard des exceptions
generales, au regard desquelles il fut dit les deffenses
avoir esté faites sans cause. Et fut dit que ung chascun
desdits habitans pourroit coucher cum uxoris suis
la premiere nuyt de leurs nopces sans le congé de l'Eves-
que, & que les habitans qui mourroient pourroient estre
enterrez sans congé de l'Evesque & ses officiers, s'il n'y a
empeschement canonique. Et oultre que les heritiers &
executeurs du testament d'aucun trespassé ne pourront
estre contraints ne obeyr à accomplir les ordonnances
faites par les Officiers dudit Evesque ne par luy au re-
gard des Testamens faits par lesdits intestaux; mais les
pourra ledit Evesque admonester charitablement qu'ils
font bien pour l'ame dudit intestat. Et que les heritiers
ou executeurs du testament d'aucun trespassé pourront de-
dans l'an du trespassement submettre l'execution d'iceluy
à la Justice laye ou de l'Eglise. Cum pluribus aliis in Ar-
resto contentis. Hæc, quia exciderant, visum est heic
addi debere, ut causæ istius exordia & progressus nos-
cantur.

